



# **Solomonis Proverbia et Ecclesiastes doctiss. carmine ac paraphrasi redditia**

<https://hdl.handle.net/1874/428633>

log. N. g. 2

Offe

# SOLOMO NIS PROVERBIA ET ECCLE SIASTES DOCTISS. CARMI ne ac Paraphrasi reddita,

PER D. ALVARVM GOMES, ET EOB A-  
NV M HESSVN.

Adiecimus quoq; Psalmos aliquot carmine uet-  
sos, partim quam antea emendatores,  
partim nunc primum in lucem  
æditos.

B A S I L E A E

# SOLOMON

LIBER AVENIBUS TRACTATI  
SOLOMONIS DOCTRINA CARNI

HIE. BRITONIVS AD  
LECTOREM.

**Q**ue Solomon diffusa nimis, uerbisq; solutis,  
Ordine tam stricto carminis iste canit.  
**Q**uam sapientem igitur ueterem reputaueris illum,  
Iure nouum hunc doctum tam modo lector habe.  
**D**um legit fructus operis, non linquere flores  
Cernitur, arte decus pinxit utrumq; graui.  
**V**sq; adeò ut dubium est, quid sit cognoscere maius,  
Istius ingenium, uel Solomonis opus.  
**Q**ui leget hanc hominis seriem, dementit, ad altos  
Si superos uitæ carpere nescit iter.

Illustriſimo

B A E J I S A U

SILLVSTRISSIMO  
PRINCIPI FRANCISCO QVI-  
gnonio, Crucis Præsbytero, et Cardinali Reue-  
rendiss. Aluarius Gomes S.



VM Bononiæ essem in  
Cesaris comitatu, iussi  
stí mihi Princeps illu-  
strissime, Prouerbia ti-  
bi canerē Solomonis, addita etiā  
lege, ut nec interpretationē admit-  
terē, nec paraphrasin, sed tantū sa-  
cræ literę diuinū sensum cōgruē-  
ti cōpendio uersu clauderem, quo  
facilius à legentib. disci, & cōmo-  
dius posset memoria retineri. Ac-  
cipe iussis carmina copta tuis: &  
quod in eis uel obscurū uel insua-  
ue breuitas fecit, religiōi tuę iussio-  
nis adscribe. Accipe rursus in præ-  
clari tui nominis obseruantia, quā  
leculq; sit opus: & quia tuum est,

a 2 si illæsum

E P I S T O L A.

Si illæsum à calumniatorum moribus seruare non possis, uel sacum vindicare nō desinas. Cecimus uiginti quatuor tantum capita, in quibus proverbia ipsa continentur: reliqua septē, hoc est alias quoq; parabolas Solomōis, quas transtulerunt filij Ezechiæ, nō cecimus. nō quia aut minoris precij, aut maioris difficultatis uideretur, sed quia post Thalichristian, et Musam Paulinā lafflatū plectrū, ac uelut longo itinere fessæ oscitanesq; Musæ, à labore suo requiem postulabat. quod uero nonnulla sunt in primo capite, & in secundo, quæ paraphrasin sapiūt, boni consule. Sic enim & in reliquis facturus fueram, nisi tuæ uocis auctoritas uetusisset. Vale.

AD

AD LECTOREM.

**N**E pagellas tibi uacuas aliquot obtrude-  
remus, candide Lector, carmen illud  
Ausonij, pium iuxta ac eruditum, neq; ab insti-  
to præsenti alienū, hic ponere uisum est: dignū  
equidem, quod à pijs omnib. non lega-  
tur modo, sed ediscatur etiā. Vale,  
& boni consule.

PRECATIO MATVTINA AD OM-  
nipotentem Deum, Decio Au-  
sonio autore.

**O**Mnipotens, quē mente colo, Pater unice rerū,  
Ignorate malis, & nulli ignote piorum,  
Principio extremoq; caret, antiquior ævo,  
Quod fuit aut ueniet: cuius formamq; modumq;  
Nec mens complecti poterit, nec lingua profari,  
Cernere quem solus, coramq; audire iubentem  
Fas habet, & patriam propter considere dextram:  
Non genito genitore Deus, qui fraude superbi  
Offensus populi, gentes in regna uocauit,  
Stirpis adoptiue meliore propage colendus.  
Cernere quem licuit proavis, quo numine uiso  
Et patrem uidisse datum, contagia nostra  
Qui tulit, & diri passus ludibria leti  
Esse iter æternæ docuit remeabile uitæ.  
Nec salam removere animam, sed corpore toto

PRECATIO AD DEVUM.

Cœlestes intrare plagas, & inane sepulchræ  
Arcanum uacuis ad opertum linquere terris.  
Nate patris summi, nostroq; salutifer æuo,  
Virtutes patrias genitor cui tradidit omniis,  
Nil ex inuidia retinens, plenusq; datorum  
Pande uiam precibus, patriasq; haec perfer ad aures.  
Da pater inuictam contra omnia crimina mentem,  
Vipereumq; nefas nocituri auerte ueneni,  
Sit satis antiquam serpens quod prodidit Hcuam,  
Deceptumq; adiunxit Adam. nos seranepotum  
Semina, ueridicis ætas prædicta prophetis,  
Vitemus laqueos, quos letifer implicat anguis.  
Pande uiam, qua me post vincula corporis ægri  
In sublime feram, puri quâ lactea coeli  
Semiauentosæ superat uaga nubila Lunæ,  
Quâ proceres abicre pijs, quaq; integer olim  
Raptus quadrijugo penetrat super æthera curru  
Helia, & solido cum corpore præuius Enoch.  
Da pater æterni speratam luminis auram:  
Si lapides non iuro deos, unumq; uerendi  
Suspiciens altare sacri, libamina uitæ  
Intemerata fero, si te Dominuq; Dei q;  
Unigeni cognosco patrem, misfumiq; duobus  
Qui super æquoreas uolitabat spiritus undas,  
Da genitor ueniam, cruciataq; peccora purga.  
Si te non pecudum fibris, non sanguine fuso

Quero,

PRECATIO AD DEVM.

Quero, nec carnis numen coniecto sub extis:  
Siscelere abstineo, errori obnoxius, et si  
Opto magis quam fido bonus purusq; probari,  
Confessam dignare animam: si membra caduca  
Execror, et tacitum si poenitet, altaq; sensus  
Formido exrutiat, tormentaq; scra gehennæ  
Anticipat, patiturq; suos mens saucia manes,  
Da pater hæc nostro fieri rata uota precatu,  
Nil metuam, cupiamq; nihil, satis hoc rear esse  
Quod satis est, nil turpe uelim, nec causa pudoris  
Sim mihi: nec faciam cuiquam, que tempore eodem  
Nolim facta mihi: nec uero crimine ledar,  
Nec maculer dubio. paulum distare uidetur,  
Suspictus uereq; reus, male posse facultas  
Nulla sit, et bene posse adsit tranquilla potestas.  
Sim tenui uictu atq; habitu, sim carus amicis,  
Et semper, Genitor, sine uulnere nominis huius.  
Non animo doleam, non corpore. cuncta quietis  
Fungantur membra officijs, nec saucius ullis  
Partibus amissum quicquam desideret usus.  
Pace fruar, securus agam, miracula terræ  
Nulla putem, suprema mihi cum uenerit hora,  
Nec timeat mortem bene conscientia uita, nec optet.  
Purus ab occultis cum te indulgenter uidebor,  
Omnia despiciam, fuerit cum sola uoluptas  
Iudicium sperare tuum: quod dum sua differt

PRECATIO AD DEVUM.

Tempora cunctaturq; dies, procul exige saevum  
Insidiatorem blandis erroribus anguem.  
Hec pia, sed moesto trepidantia uota reatu,  
Christe apud eternum placabilis assere Patrem:  
Saluator Deus ac Dominus, mens, gloria, uerbum,  
Filius ex uero uerum de lumine lumen,  
Aeterno cum patre manens, in secula regnans,  
Consona quem celebrat modulato carmine plebes,  
Et responsuris ferit aera uocibus Amen.

F I N I S.

PROVERBIORVM



**S** PROVERBIORVM  
SOLOMONIS, PER D. ALVARVM GO-  
mes, doctissimo carmine ac diligen-  
ticeu paraphrasi expositorum,

CAPVT PRIMVM.

Sapientiam amplectendam, malorumq;  
consortium uitandum  
esse docet.



AS Domini uoces, diuini pignora  
regni,  
Dat Solomon, uerbi semina san-  
cta pij.

Heu quia nam miseras atra caligine mentes  
Inuoluit tenebris noxq; scelusq; suis?  
Prò dolor. & fractis animis sibi pugnet habenis,  
Et sitiens nocuis uix satietur aquis?  
Quin age? si lemures, infernaq; uncere monstra  
Te iuuat, optati suscipe herba Dei.

A

2 PROVERBIORVM

Pande fores, pleno fœlix Sapientia cornu

Emicat, ad ueri lumina pande fores.

Hæc tibi substratas uires, primumq; decorem

Conferet, à cunctis eruet una malis.

Hæc facit imbelles uicto fortescere somno,

Dirigit & puras ad pia regna manus.

Tantum opus est, timeas Dominū, qui cōdidit astrā,

Teq; potens dextris sustinet usq; suis.

Pone animi cristas, motusq; extingue superbos.

Sunt tibi de solo cuncta petenda Deo.

Si recolis terræ pestes, Stygiosq; furores,

Quæq; magis lœdunt carnea monstra, time.

Hoc est principium sapientibus. omnia contra

Si uideant animos infera tela suos.

Hinc Erebi furiae, genus exitiale nocentum:

Hinc terræ, hinc lapsi corporis instat onus.

Hinc qui cuncta uidet, strictū diuerberat ensem,

Pellat ut ad pœnas improba corda suas.

Hinc metus, hinc amor est, binas hinc explicat alas

Mens pia si sortem nouerit ipsa suam.

Sed tamen expertos purum linquamus amorem

Dicere, & arcanis signa referre notis.

Expertos laus ista decet, non ipsa loquentis

Admittit linguae uerbula purus amor.

At no-

SOLOMONIS CAP. I.

3

At nobis, pueros, & adhuc non grandia doctos,  
Sit labor, et primos instituisse gradus.  
Aeternas uires et numina sancta timere,  
Sit data consilijs formula prima meis.  
Volue oculum, & morbi uallatas aspice terras,  
Et dura inferni principis arma uide.  
Sed bonus haec autor sacro sic temperat ore,  
Ut nulla innocuis sint nocitura uiris.  
Te nihilum quod laedat habes, si pectora serues  
Pura pius, Domino nec moueare tuo.  
Hunc timeas, uitium cui displicet: ordine mentes  
Excitat, & mundas efficit iste metus.  
Hic timor aduersum portis bipalentibus Orcum  
Frangit, & hic rectos ductat ad astra uiros.  
En diuina metu Sapientia queritur isto,  
Sunt extra ueram corda superba uiam.  
Stultis despecta est Sapientia. collige mentem,  
Et cape purgato uerba paterna sinu.  
Haec precor, haec nati iuuenes audite, senesque  
Accipite, & magni pignora sancta Dei.  
Accipite, atq; animis cœlestia figite dicta,  
Optimus ad genitos dat pater ista suos.  
Turba Dei nunquam uero diffide docenti,  
Nec uerte ad placitum dicta paternathum.

A 2 Dæ

4 PROVERBIORVM

Dat pius ipse pater passis tibi dogmata palmis,  
Hæc tulit ad natum mater amica suum.  
Qui docet hic pater est, mater tibi candida legem  
Dicit, amans uerbum feriq; refertq; pluim.  
Tu patrem matremq; tene : tutatur ab hoste  
Te pater, & gremio confouet illa suo.  
Hic chariten capiti lœto demittet ab orbe,  
Et torques collo conferet illa tuo.  
Addet opes, uiresq; pater. ne despice fili  
Verba patris. domino quis neget illa suo?  
En terrena phalanx furijs agitantibus instat,  
Instruit & laqueos in tua colla suos:  
Et nunc insidijs, nunc Marte oppugnat aperto,  
Funera nunc falsis occulit illecebris.  
Furta, dolos, fraudem, stygij genus omne ueneni  
Suadet, et in socios uerbera ferre pios.  
Suadet opes fratribus scelerato inuadere ferro,  
Et premere immeritos & lacerare uiros.  
Hanc fuge, et à socijs gressus auerte nefandis,  
Horrida q; à uotis monstra repelle tuis.  
Hæc rabiem insanam, lætalia semina circum  
Spargit, & in segnes tela cruenta rotat.  
Si tamen autorem timeas, si numina cordi  
Fixeris, ad nullos te trahet umbra dolos.

Pennatos

## SOLOMONIS CAP. I.

50

Pennatos animos, et retia iacta uidentes,

Frustra audet laqueis lusor adire suis.

At pennas duplices metus hic: amor inde uo' enti

Dant homini ætherias ut petat ille domos.

Delususq; iacet lusor, stridentibus iris,

Torquet et horrendas in sua membra manus.

Ausus es ô nimium nimiumq; oblite parentum,

Cælica nocturnis uertere iura dolis?

Quod terra est, uile est, animis nō conuenit altis.

Quid facis, iratum non uiden esse Deum?

In te moliris fraudes, nec retia sentis,

Heu pateris telo uulnera facta tuo.

Quid petis? aut qua spe terrena in fece moraris?

Inter diuitias turpis auarus obit.

Quid sibi uult tantis quæsita pecunia formis?

Quæ tecum longam non queat ire uiam.

Quæ tua corda premat, sæuo imperiosa capistro,

Etrapiat sensus tam male rapta tuos?

Prædicat ad cunctas felix Sapientia ualras:

Clamitat & gemino dat pia dicta sono.

Quæ finis standi? quò uos decet usq; teneri?

Ah, pueri uanas semper amatis opes?

Ah, pueri fragiles, quæ uos dementia ludit?

Vt pereant uotis pectora uestra suis?

Quis nisi cæcus amet, quæ sint, nocitura teēnii?

Ah, precor ad ueram surgite corde uiam.

Ad me & decepti iuuenes præcepta uenite,

Iam Domini flatus, & pia sacra feram.

Delicias uerbis, fœcundaq; fontibus arua,

(Tantus honos uerbo) ueraq; regna dabo.

Quid facis? eia uoco, teneat mora nulla uocata,

Turba ueni, ad flamas non moritura meas.

Heu, canimus surdis, & frustra extendimus alas:

Heu, sterile ingratis luttus aramus equis.

Scilicet, & quamvis uenio dotata, repellor?

Contemniq; meas turba proterua dapes?

Ast cum horrenda dies, defflendaq; uenerit hora,

Sumam de leto gaudia iusta tuo.

Cum Chaos, et Phlegetō, et Auernæ ianitor um-

Irruat in uestros morsq; dolorq; sinus. (bræ,

Cum toruæ irarum facies, cum tristis erinnys,

Pascent in uestris impia corda malis.

Tunc ut dura filex miseros immota uidebo,

Nec responsa pij principis ulla dabo.

Tunc precibus nullis, non ui, non arte mouebor,

Dum locus est ueri suscipe regna boni.

Dum uia, dum uita est, pelago dum curris in isto,

Ad me felici tacius amore ueni.

Nunc

SOLOMONIS CAP. II.

7

Nunc dū tempus habes, me suscipe: dira supersunt

Tempora, & ingratis stat sua pœna uiris.

Ira, furor, pestis, ac cætera monstra laborum,

Fructus erunt prauæ tempus in omne uicæ,

Et dapibus saturata suis mens improba, cernet

Ad bona conuersos lumen habere uiros.

Stulticiamq; nouam miro gestire trophæo,

Quod dabit huic curas nocte dieq; graues.

Qui tamen audierit mea dogmata, montibus altis

Incipiet lætos nunc quoq; ferre cibos.

Illum æterna quies, & pax optata manebit,

Vt uideat demptis prospera dona malis.

C A P V T      II.

Sapientia, præclarum Dei munus, quomodo

comparanda, & quis eius usus.

**S**CIRE DEU, scire est: Dominu qui nesciat, oē<sup>s</sup>

Nescit opes nōto cuncta scienda Deo.

Ergo hæc uerba tui si suscipis ordine patris,

Et te iura Dei noscere sacra iuuat.

Si cupis infernos astus, noctemq; profundam

Vincere, funebres & iugulare duces:

Principio querenda tuo prudentia cordi est,

In promptu uerum nos docet illa bonum.

Nā pia cū sapidos Domini mens inuocat imbrē,  
 Retribuitq; suo corda docenda Deo:  
 Cumq; ea spōnte suum quærerit peregrina decorē,  
 Sicut terrenas fossor auarus opes:  
 Tunc uerum uitæ flatum, regnumq; perenne,  
 Delicias cordis percipit, atq; timet.  
 Tunc arcana Dei sapientis, & inclyta facta  
 Inuenit, & sacris pascitur illa cibis.  
 Nam pius altitonans, uotis qui aspirat honestis,  
 Stat super, & radios non negat ipse suos.  
 Ipse salutis opes tribuit quærentibus illas.  
 Præuenit, & natis consulit ante pijs.  
 Eruditq; suos plenum sapientis honorem.  
 Utq; scias, uerbum dat bonus ore suum.  
 Hoc uerbo terras, & quor formauit, et astra,  
 Hoc uerbo gratos ducit ad alta uiros.  
 Custodit rectas animas, ne sænior hostis  
 Opprimat allectos, qua ualet arte, sinus.  
 Curat oues pastor, blandasq; à uulpe columbas  
 Protegit, atq; astus comprimit ipse feros.  
 Insidias, fraudes, & nomina cuncta ueneni  
 Pellit, & à uafbris seruat ouile lupis.  
 Insurgant furiae, uel Tartara cuncta tumescant,  
 Prospexit metus altus ab arce suos.

Tu, si

SOLOMONIS CAP. II.

9

Tu, si chara tibi uita est, si dulcia uerbi  
Dona colis, sanctas si cupis illecebras:  
Si cupis empyrei tractare negocia cœli,  
Atq; illis sacros inter adesse choros:  
Admitenda tibi est Sapientia, dedecus ingens  
Huic fuerit passas non habuisse fores.  
Admittenda: tibi nam se dabit ipsa uolenti,  
Sponte quidem, & paruo pata labore uenit.  
Tunc tua Iusticiam mens uere intelligit omnem,  
Confilium uoisi conferet illa tuis.  
Eruet à geminis te Syrtibus, atq; reducet  
Ad patriam uictis lœta carina malis.  
Præstabitq; tibi Prudentia, dæmone fracto,  
Ne sit ter geminis mens tua capta dolis.  
Ne Stygij proceres, & qui peruersa loquuntur,  
Ad mores ualeant te reuocare suos,  
Linquit iter rectum gens impia, gaudet auernis  
Ritibus, & toruo pergit iniqua gradu.  
Effugat infernam fulgens Sapientia noctem,  
Et radios pura fertq; resertq; manu.  
Hæc te de uitijis muliebris bus eruet, omnem  
Docta modum, & magni pignora casta Dei.  
Ne muliebre chaos, si sis tibi charus, adito:  
Ecce latent mixtis nigra uenena rosis.

A 5

10 PROVERBIORVM

Prima uirum mulier pomo seduxit acerbo,

Te simul ignotis obruet illa uadis.

Sensibus immiscet dirum rea foemina letum,

Et postquam proprium deserit illa ducem,

Funus amat mulier, nefuscum crede gerenti:

Mortis ab insidijs heu fuge, ne pereas.

Pandit iter rectum Sapientia, desere noctem.

Non uiden' ante oculos lumina sancta tuos?

Vir iustus terrae est dominus, uictorq; manebit

Vir pius in Domino tempus in omnes suo.

Impius hostili gladio perfoissus, & exul,

Ibit ad infernas irrediturus aquas.

C A P V T III.

Ad pietatem in Deum & proximum hortatur,

tolerantiamq; commendar, & Sapientiæ

laudes persequitur.

**A**Ethereos fratres imitabere iussa ferendo,  
Nate mea, et uerbū pectore conde piū.

Hoc tibi felices annos, pacemq; salubrem

Conferet, & uitæ dulcia sæcla nouæ.

Heus tibi, si qua uides diuinæ lumina mentis,

Si sedit in uotis uita beatatuis:

Esto pius miseris, & ueri dogma parentis

Iustus anima, & puro numina corde tene.

Inuenies

SOLOMONIS CAP. III.

xx

Inuenies chariten, grato quæ oblata petenti

Semper adest, uoto ni moueare pio.

Teq; sibi gratum mundus cœlumq; Deusq;

Tollent, & quasso puluere uictor eris.

Circunstant te flamma, cruor, gladiusq; furorq;

Pugnat & ad ualunas ulti& umbra tuas.

Sed uero confide patri: non ille sequentem

Deserit, aut uotis deficit usq; pijs.

Fide duci noto, proprijs ne crede miselle,

Viribus an usquā, quem colis, autor abest?

Præuius ille tuo, pia sint modo numina cordi,

Ductor erit, gressus diriget atq; tuos.

Tu tibi ne sapiens cristas attolle superbas,

Sed potius Domini numina magna time.

Heu fuge tartareos astus, & carnea signa,

Quæq; latent paruis horrida monstra uijs.

Sic tibi uera salus, & pax, requiesq; laborum,

Ac supera missus flabit ab arce Deus.

Ille opifex rerum fecundos irrigat agros.

Post hyemem uernos reddit et ille dies.

Huic sit honor: primosq; ouiu frugumq; decores

Ipse ferat, seruis pascitur ipse suis.

Pauperibus qui dona dabit, sciat ille potenti

Dona dare, in charis est Deus ipse uiris.

Pascitur

## PROVERBIORVM

Pascitur in pastis pastor gratissimus, atq;  
Centeno acceptas scenore reddit opes.

Hic dabit, ut saturas capiant uix horrea messes,  
Exundeniq; suis feruida uina cadis.

Ne tamen ingratum mœsto si tempore seruum  
Corripiat, rectam desere nate uitam.

Non perdit charos, sed corripit: ipse flagellum  
Tendit, amor populi, duxq; paterq; sui.

Quām pater in genitos intenso sœuit amore,  
Tollat ut à uitijs uulnera facta feris?

Prospera nulla leuent, te nulla aduersa fatigent:  
Hoc satis est, iusto sic placuisse Deo.

Hæc est, hæc fili, Sapientia, noscere patrem,  
Accipere & læto quod uelit ille animo.

Hæc facit hæc hominem Sapientia uera beatum,  
Hac discit Dominum mens generosa suum.

Non te Phœnicum chartæ, non turba sophorū,  
Felicem, notus sed dabit esse Deus.

Felix, & nimium felix, quem gurgite in isto  
Non turbant imis cærula uersa uadis.

Felix, cui Dominus uera est Sapientia: felix  
Vir prudens, qui se cum bene nouit, habet.

Non erit extra ipsum curis distractus acerbis,  
Sub freno sensum doctus habere suum.

Effugit

Effugit à uitijs Prudentia, pensa modumq;  
Seruat, & à uetitis abstinet illa cibis.

Tēpora quæ fuerint, quæ mox uentura trahātur,  
Perpendit, tectis nec ruit illa dolis.

Auro atq; argento est melior prudentia primo,  
Et puros fructus mentibus illa facit.

Elige quod cupias: Sapientia ditior, omnes  
Vincit opes, & quod terrea uota petunt.

Hæc habet in dextris dulcissima sæcla, sinistris  
Diuinitas sapiens, quod cupid, unus habet.

Pulchra uiam pulchræ stravit Sapientia paci,  
Hac uitæ lignum pectora iusta ferunt.

Hac terram locat Omnipotens, cœlumq; polosq;  
Firmat, & ad finem sidera cuncta mouet.

Hac facit & nubes tenero concrescere rore,  
Hac facit ut subitas fundat abyssus aquas.

O fili, si te fili pia nomina tangunt,  
Ne fluat ex oculis lucis imago tuis.

Nerudis ad partum, folijs assuesce notisq;  
Perdere, uel siccis semina nostra locis.

Consilium ne sperne meum, cœlestia iura  
Custodi, hæc animis dulcia mella pijs.

Sic Chariten uitamq; feres, pulsoq; timore  
Innocuo tendes ad pia regna gradu.

Sic tibi

Sic tibi non rabies sœui nocitura Barathri,  
 Non Chaos, aut mōstris noxūc furorū suis.  
 Diffugiet pauor umbripotens, & turba luporū,  
 Custodietq; tuum conditor ipse latus.  
 Ille dabit geminis ut non feriare sagittis,  
 Nec teneant humiles uincula iacta pedes.  
 O fili, scelus est dextras prohibere benignas.  
 Quin potius socio sis bonus ipse tuo.  
 Ne piger in donis, ne cras ad crastina mittas  
 Tempora: nam cernis, q; breue tempus habes.  
 Tolle moras omnes, si qua est præstare facultas.  
 Eludit pigras quæ fugit hora manus.  
 In te fidentes ne percute, cura pudoris  
 Si qua tibi iustum non uiden esse Deum?  
 Non uiden ut fraudi merces pendatur iniquæ?  
 Iustus ut iniustos uindicet ipse dolos?  
 Qui ferus in miseros hostilia uerterit arma,  
 Se sciat in magnum tela mouere Deum.  
 Nec tibi uir fallax placeat, nec sœua rapinæ  
 Nomina, Ta:tareos non imitere duces.  
 Odit oues fictas, & puro pectore gaudet  
 Autor, & innocuis simplicibusq; fauet.  
 Simplicibus credit sua lumina gestit ad illos  
 Summa loqui, & castis dat sua signa uiris.  
Iustus

SOLOMONIS CAP. III.

15

Iustus & à Domino sumit bona gaudia iusto,  
Ultrices furias improbus æger habet.  
Lusus & illusor sero sua uulnera deflet,  
Et charis in rectos labitur alta uiros.  
Sic sapiens regnum mansuris possidet agris.  
Sic stultus uoto perditur ipse suo.

C A P V T      IIII.

Sapientiam amplectendam esse admonet, quip  
pe quæ & ornet hominem uirtutib. et à ui  
tis reddat inuictum.

**V**Erū audite patrē, ccelorū arcanaloquentē:  
Nec pia melliflui temnire uerba Dei.  
Ecce sero ad gratos largis bona gaudia palmis,  
Et decus, & flammæ pignora sancta meæ.  
Accipite, atq; animis diuina recondite iura:  
Nec mea dilecti linquite dona uiri.  
Sic pia me genitrix teneris instruxit ab annis,  
Erudiens natum nocte dieq; suum.  
Suscipte iam charites patrias, & corde sub imo,  
Aeternum ut uiuas, dogmata nostra tene.  
Suscipte, nec pigeat duris audire sub antris,  
Quæ summa illapsus mittit ab arce Deus.  
Iam tibi;

Iam tibi promissum uenit Sapientia donum:

Hanc habe, & in factis emicet illa tuis.

Ne prudentis opes penso contemne relicto.

Vir prudens torta non cupit ire uia.

Immorum Adamides terrestri perditus umbra,

Cur precor æthereum tam male linquis iter?

Dux tibi sum: confide patri, uerbumq; salubre

Suscipe, et excelsi numen amoris ama.

Te diutem, laetumq; uirum, Sapientia reddet.

Quæ cupis, ad uotum cōferet illa tuu.

Quæ decus prudens, cōcessaq; numina fortis

Arripe, & à summo Principe pignushabe.

Te pia diuinas Prudentia tollet in arces,

Si semel amplexu gaudeat illa tuo.

Illa tuis oculis radios effundet ouantes,

Proteget atq; tuum uera corona caput.

O fili, mea uerba tene, uitamq; uiamq;,

Et mea perpetuas uox tibi monstrat opes.

Nostrum ingressus iter cœlestia regna uidebis,

Nec lœdent oculos puluis & umbra tuos.

Nostrum dogma tene, uacuas ne uerberet auras.

Est tibi consilijs uita paranda meis.

Impia nec placeat tibi semita: torta malorum

Est uia, de medijs quid petit agna lupis?

HOS

Hos rabies, hos culpa iuuat, funusq; dolorq;  
Sæuaq; in electos uerbera ferre uiros.  
Pectora læta malis, odio pascuntur auerno:  
Et bibit heu stygios impia turba lacus.  
At uia iustorum radiantibus emicat auris,  
His data lux mediam crescit ad usq; diem.  
Impia mens semper tenebris obducitur atris,  
Nec uidet aduersos terga ferire canes.  
Tu tamen ad uerum fili conuerse decorem,  
Accipe de patro dogmata sancta sinu.  
Pande oculos, auresq; patri, nec desere regis  
Verba pij, & dominum pectore conde tuum.  
Dogmata nostra ferunt uitam inuenientibus altā.  
seruant à priscis agmina cuncta malis.  
Quisquis eris, si cautus eris, per sæcula uiues,  
Est tibi per uerbum uita parata pium.  
Cor tamen à duris seruatum absconde tyrannis,  
Ne tibi dent stygij mixta uenena proci.  
Vita ex corde uenit, ne sunt tibi uilia corda:  
Excubias uigiles, si sapis, usq; tene.  
Sit procul à iustis, prauo qui obmurmurat ore:  
Sint procul à gnatis labra maligna meis.  
Recta uide inferno ne perdas lumina somno,  
Præcedant gressus luxq; decorq; tuos.

Sta pedibus, nec linque patrem, callesq; uiasq;

Dirige, ad optatum si cupis ire bonum.

Dextra, sinistra, nocet: medio tutissimus ibis.

Auerte infectis uota pedesq; locis.

Dextrum nouit iter Dominus, nouitq; sinistrum,

Et uocat in lancem fasq; nefasq; suam.

Icta sinistrorum rabies trudetur, at ipse,

Te reget in uerbo duxq; Deusq; pio.

Ille tuos gressus secundo diriget ore,

Rector, & innocuum conferet unus iter.

Ab impudica muliere cauendum, &  
propriae uxori castè adheren-  
dum esse docet.

### CAPVT V.

**N**ATE meos habitus, corda et sapientia uiuæ  
Mentis ama, et uenis numina conde tuis.

Auribus internis uitali attende magistro,

Et serua illapsum pectore & ore Deum.

Ne miseris fraudes fucato scemina uultu

Tendat: ab hac animum, si sapi, usq; tene.

Ecce fauos labris & mella liquentia fundit,

Et plusq; nitidum balsama guttur habet.

Dulcia principijs sunt & sua uulnera, mœsto

Fine tamen falsas uertit amaror opes.

Plus

Plus aloës quam mellis habet ea gaudia monstru,

Nate ferum, et pomis tecta uenena caue.

Ancipiti gladio flammisq; armata trisulcis

Lingua furens, ipsis uulnera fecit aquis.

Compta pedes ambos meretrix ad tartara mittit.

Et penetrat longo regna cruenta gradu.

Deseruit uitæq; uias, gressuq; nefando

Non nisi letheas gestit adire domos.

Tu tamen, o princeps, ne uerum temne decorem:

Sed Patris et Domini suscipe uerba tui.

Effuge, nec lymphis muliebribus obrutus altam

Linque uiam: procul hac, ni fugis, ultor adest.

Mors foribus meretricis adest: plectuq; sepulchrū

Fert mulier, captos quo tegat ipsa uiros.

Tu sceptrum ne perde tuum, ne traditus hosti

Sponte feras gladijs uulnera facta tuis.

Ne nimium dulces annos, floremq; iuuentæ

Amittas, miseris percitus illecebris:

Et deceptus amans sero post funera, uanu

Des gemitum, et querulo tristia uerba sono.

Immemor o patris, post nota pericula dices,

Cur placuit uotis torpor et umbra meis?

Dogma pium, castosq; patres, fontemq; salubrem

Deserui, immundis nec satiandus aquis.

Sæpe malum hoc iuueni, si mens nō læua fuisset,

Legifer æditius uaticinatus erat.

In medijs turbis sacro mihi dixerat ore,

Sint tibi cisternæ pocula casta tuæ.

Et putei proprij latices ne perde caninis

Morsibus, ah uæcors sancta fluentia bibe.

Et fontes extende tuos, plateisq; uolentum

Diuide fœcundas ut pius imber aquas.

Nec tibi consortes alienis delige castris,

Sunt in delectu damna timenda tuo.

Si petis illecebras duro fraudatus ab hoste,

Proditor es propriæ (quis tibi fidus) aquæ.

Quis tibi fidus erit, si tute proditor ipsum

Perdis, & heu uenam despicias ipse tuam?

A consorte Dei puro bona gaudia cordi

Suscipe: si curet, gaudia ceruus habet.

En comiti sua cerua placet, placet hinnulus: & sic

Vberibus castis ebrius esse potes.

Castus amor cur nō præstet sua gaudia? uel quis

Esse peregrino captus amore uelit?

Cur iacet hostili gremio, notumq; uenenum

Sponte bibit domino chara marita suo?

Ecce uiam, gressusq; hominis prospectat ab alto

Conditor, & penas undiq; crimen habet.

Ecce

**E**cce suæ fraudes capiunt fera pectora, iustis  
Funibus, & fontes improba monstra ligant.  
Impius & sortem flammæ subiturus auernæ,  
Terreus & stulta morte peribit amor.

Sponsioni noxam præsto esse docet, ignauos  
ad laborem horratur, calumniatorum ne  
quitiam depingit, adulterium furto  
peius esse declarat.

## CAPVT VI.

**O**Fili, ni signa ducis, ni uerba parentis  
Respicis, & uoto concipis alta tuo:  
Esto memor uerbi, uero quod fundis ab ore,  
Et tua sub memori pectora pacta tene.  
Verba ligant homines, nec uincula fortius ulla  
Innectunt magnos quam sua uerba uiros.  
Solue manum uinctam sermonibus, atq; tenacem  
Stringe, fidem si uis uincere, fidus eris.  
Vna fides decus est & gloria summa uirorum  
Fraus (precor hoc) natum non iuuet ulla meū.  
Quid facis, aut qua spe terrena mœstior umbra,  
Dum refugis curæ pondera lente iaces?  
Non' ne uides, ut casta pio formica labore  
Viuit, & exemplo te docet illa suo?

Vere legit segetem, gelidas quam seruat in horas,  
 Omneq; sic prudens utile tempus habet.  
**I**psa sibi præceptor adest, & iussa ministrat,  
 Ipsa sibi lectum fertq; refertq; cibum.  
**T**u cœlum, tuq; astra uidens, tu numina noscens,  
 Cui dedit optatus dogmata sancta Deus.  
**C**ui pater æthereas pateris fulgentibus undas  
 Contulit, & rectam carpere posse uiam.  
 Heu piger in tantis opibus, donisq; bonisq;  
 Stertis, iners medios nec capis ore cibos?  
**O**piger: ec quando promisi ad lumina cœli  
 Consurges? læuam destituesq; uiam?  
**Q**uando erit, ut terræ misero torpentina somno  
 Corda cites flamas apta uidere pias?  
 Heus tibi, si sapias, misero minitatur egestas,  
 Pauperies gladium uibrat acerba suum.  
 Instat hyems, instat stygij fera murmura ponti,  
 Instat atrox ipso turba timenda sono.  
 Si uigiles, surgasq; citus, tibi cuncta fauebunt,  
 Et tua centenas terra uidebit opes.  
 In latices tua messis erit, morbusq; dolorq;  
 Penè dabunt uictas in tua uota manus.  
**Q**ui Domini uoces, diuinaq; iura relinquit,  
 Ut ilis in populo num queat esse pio?

Orefero

Ore fero, motis pedibus, digitoq; locutus,

Seminat in socios iurgia sœua suos.

Ast cum mœsta dies & inexorable fulmen

Irruerit, propria corruet ille manu.

Corruet, & medici nulla reparabilis arte,

Sontibus inuisum tunc sciet esse Deum.

Sublimet oculos Dominus, linguamq; proteruam

Odit, & hostiles impia membra manus.

Cor falsum, fictum q; loqui, testemq; malignum

Odit, & excitos ad mala facta pedes.

Ah miseri, quib. arma placet, et Martius horror,

Quiq; suos fratres ad fera bella mouent.

O fili, toties repetito nomine fili,

Corde precor medio suscipe uerba patris.

Ne matrem contemne piam, matrisq; patrisq;

Nomen ama, ut passo gutture mella uores.

Mella Dei uerbum uenas effundit in omnes,

Illud erit nato luxq; salusq; meo.

Sine sedes, seu capis iter, seu nocte sub alta

Dormitas Domini concipe uerba tui.

Vox Domini, lex uera tibi, pax, uita, quiesq;

Hæc potuit rectam dicere sola uiam.

Hæc ualet à nostris tetræ arcere phalanges.

Ducereq; ad gratos lumina sancta uiros.

Hæc te nate reget, ne te rea scemina uincat,  
 Ne capiat blandis perfida lingua dolis.  
 Quid cupis insipiens ficto ne crede decori.  
 Delicys miseris effera monstra latent.  
 Monstra animam raptura tuā, preciumq; furoris  
 Mors erit. ah, curas percipe nate meas.  
 Effuge blandicias, nec sœua pericula quære.  
 In flammis tutum quis putet esse locum?  
 Quām meretrix animos uersatis urit ocellis,  
 Ocyus ac paleas improbus ignis edit?  
 Non potes illæsus prunas calcare. nec unquam  
 Esse rea mundus cum muliere potes.  
 Immundum fugient Charites, fœdataq; membra,  
 Conditor a fœdis pellet edenda lupis.  
 Furta minus nocuere uiris, raptumq; metallum  
 Si fuerit redimi quolibet ære potest.  
 At semel offensi furias uitare pudoris  
 Quis queat, aut pulsū non trepidare Deum?  
 Quis iū manū ultricem, direptaq; cōiugis arma  
 Non timeat, factis territus ipse suis?  
 Hortatur ad sapientiam, & numeratis meretri  
 cū moribus, quantū incōmodi carnis asse  
 Etū atq; illecebrarum sectatores  
 consequantur, exponit.

Caput

## CAP. VII.

**N**Ate patris uerbū, maternaq; iussa sub alto  
Corde preme, & uanis non moueare  
notis.

Dedecus hoc genitoris erit, si uana secutus,  
Spreueris ut tenues dona paterna dapes.

Nosce piūm Dominū, si qua est tibi cura salutis,  
Et serua ut charos dogmata nostra sinis.

Lex mea te saluum, si sit tibi sola uoluptas,  
Efficiet summo sistet & illa bono.

Hanc digitis inuolue pījs, uenisq; reposiam  
Scribe, nec à notis concidat ipsa tuis.

Sit tibi chara soror Sapientia: respice lumen,  
Respice, nocturnis ne capiare dolis.

Dira uenenatos ne fallat foemina sensus,  
Sopitoq; suum lumine uulnus agat.

Aspice ut egreditur captatis paruulus umbris,  
Et per lætiferos incipit ire locos.

Incipit: at ficto meretrix occurrit amore,  
Et iuuenem miris decipit illa modis.

Impatiensq; moræ festiuo garrula uultu,  
Inijcit hæsuras capta per ora manus.

Incubuit dextræ laqueis hinc inde paratis,  
Et miserum multa qua rapit arte, tenet.

Inter

Inter & amplexus tenero libat oscula capto.

Laus Domino mundi, uota recepit, ait.

**Quæ**, Nemesin, placidis obstat contraria cœptis

Vicimus, & felix uictima nostra fuit.

Ipsum ego te cupiens, plena quæ uoce uocaram,

Inueni: o uotis tradita summa meis.

Funibus intextum est lectum, stratisq; decorum,

Qualia nec Phrygio sub duce Nilus habet.

Picta domus myrrhā, Syriumq; adspirat amomū,

Pulchra uoco, tandem quid cupis, ipse ueni.

Est Bromius, sunt ubra, ueni: cupidisq; fruamur

Nexibus, & nostra est sera futura dies.

Vir meus extremos abiit mercator ad Indos,

Tota domus nobis seruiet, ipse ueni.

Audijt hanc iuuenis, nec dulcia uincia moratur,

Nec miser ad letum prospicit ipse suum.

Ac uelut indocilis bino pertracta capistro

Buccula, delectam se putat ire uiam:

Ceruus & ut sitiens nescit sua uulnera, nescit,

Vsq; ferit cæcum læua sagitta latus:

Vt festinat avis laqueo casura reperto,

Mentis inops diram sic petit ille necem.

Ah nimium patrij, nimiumq; oblitus Olympi,

Sic sequitur dominæ gaudia uana feræ.

At fili

At fili, mea cura, precor, ne despice uitam,

Effuge tartareas sole uocante uias.

Nec te decipient uiolas imitata uenena.

Femina, quam sequeris, nil nisi funus amat.

Femina blanditijs duro cœu uiuinerat arcu,

His solet incautos uincere sola uiros.

Edomuit fortes meretrix inimica lacertos,

Crede mihi, mulier perfida uirus habet.

Ad se complectendam inuitat Sapientia, quod

etiam opib. præstet, & ab initio fuerit Deo

perpetuo coniuncta.

## CAP. VIII.

**N**unc sonat à dextris dulci Sapientia cātu,

Effuge letheas turba proterua uias.

Nunc procul à summo Prudentia uertice clamat,

Et foribus uocem dat reuerenda suam.

Vos precor infantes, diuino attendite uerbo,

Et pueri uultus non trepidate meos.

Ah pueri fragiles, quæ uos dementia ludit?

Ah miseri, uanas semper amatis opes?

Suscipite, atq; animis cœlestia fundite mella,

Vertite ad optatum pectora uestra bonum.

Aethereis de rebus agens summaq; salutis,

Alloquor, & grato dicimus ista Deo.

Me pater

*Me pater omnipotens diuino instruxit amore,*

*Quo nostrum uitæ prandia guttur habet,*  
*Impia facta uirum detestor, & impia corda,*

*Nec dolus in nostris uocibus ullus adest.*

*Grata bonis sum, dura malis: qui dogmata nostra*  
*Cernit, in his notum perspicit esse Deum.*

*Non erit à nostris collata pecunia uerbis,*  
*Sed pia quæ uitam dogmata capta ferant.*

*His aurum uilescit inops. Sapientia sola est,*

*Quæ cuncto cunctas tempore uincit opes.*

*Quicquid habet mundus summis optabile uotis,*  
*Hæc tibi si uirtus defecit, est nihilum.*

*Ante mare & terras uerum Sapientia lumen*  
*Protulit, & rectas hoc docet orbe uias.*

*Summum habitat rationis iter, prauumq; malūq;*  
*Odit, consilijs et micat illa bonis.*

*Respice, si qua uides: Ego sum sapientia, mater*  
*Iustitiae, sœuis lux inimica dolis.*

*Detestor cristas animi, sensusq; tumentes,*  
*Sternit et elatos dextera nostra duces.*

*Expendo causas, & equataq; iura reuelo,*  
*Sustineo digitis florida regna meis.*

*Sum, quæ sceptra paro, quæ legibus aurea reddo*  
*Sæcula, sum ferulæ uisq; deusq; piæ.*

Natos

Natos lucis amo. qui me petit, inuenit ipsam:

Nec fallunt uigiles lumina nostra oculos.

Virtutis decor omnis adest, et gloria mecum,

Diuinas et opes tempus in omne gero.

Divitijs auro præstantibus impleo fida

Pectora sum rectis, simplicibusq; fauens.

Anteq; quam quicquam tenero constaret in orbe,

Delitium nobis conditor orbis erat.

Lucet ab æternis uirtus mea prodiit flammis:

Agnoscit nostras terra, polusq; manus.

Iam speculo fueram uiui concepta parentis,

Quam prius et summas ferret abyssus aquas.

Nec dum per medias currebant flumina ualles,

Nec gelidus dura mole sedebat Athos.

Ante hilares colles, horrendaq; culmina saxis

Exhibui placido uiscera casta Deo.

Magnus adhuc terram cœli non fecerat autor,

Quando informe chaos, cum nihil orbis erat.

Cum Dominus cœlos et sidera cuncta parabat,

Ipsa aderam, et fulgens lumina prima dabam.

Cumq; polos ambos firmabat, et æthera, cumq;

Perpetua tumidas lege tenebat aquas:

Cumq; suo duram librabat pondere terram,

Ipsa aderam Domino dulcis amica meo.

Et placi-

*Et placidos lusus, diuinâq; gaudia felix*

*Libabam, grato tempus in omne Deo.*

*Gaudebam uictis toto simul orbe tyrannis*

*Ludere, & humanos inter adesse choros.*

*Nunc precor o castam, Iuuenes, audite parêtem:*

*Quos genui, natos ad piaregna uoco.*

*Felix qui puro mea dogmata seruat amore,*

*Constantiq; meum pectore carpit iter.*

*Ah precor, ah pueri, mores audite beatos,*

*Nec bona magnifico pellite missa Deo.*

*Felix, & nimium felix, qui uerba uocantis*

*Audit, atq; meas excubat ante fores.*

*Qui Charites sacras obseruat ad hostia ueri*

*Principis, & nostri nominis arma tenet:*

*Inueniet uitam, qui me prius inuenit, atq;*

*Hauriet à misso flumina uiua Deo.*

*Qui tamen infelix mea numina læserit hospes,*

*Se sciat à telis uulnushabere suis.*

*Diligit heu lemures, qui me non diligit. ipsas*

*Qui Charites odit, nil nisi uirus amat.*

*Rursum ad se omnes uocat, & à scultitiae ille-*

*cebris iuuenes cauere iubet, ac Domini ti-*

*morem commendat.*

CAPVT IX.

Ipsa do-

**I**psa domum facit, ipsa sibi Sapientia sacram,  
Et septem stellas excidit ipsa sibi.

Proposuit mensas, et uina bibentibus alma,  
Et uocat ad lectum pectora casta suum.

Ecce piis pulchram Charites demisit ad aulam,  
Iussit et aethereis corda ciere tubis.

Huc precor, huc luuenes uictis accurrite mostris  
Et ueniens dulcem paruulus oret opem.

Ad mea decepti luuenes precepta uenite,  
Sumite et a patenis dulcia uina meis.

Iam fragiles animos firmato linquite gressu,  
Accipite et solidos patris ab ore cibos.

Effugite obliquos calles, pes enimq; latentem  
Floribus: heu prauam cur placet ire uiam?

Qui docet ingratum, quiq; arguit impia corda,  
Perdit, ut in fiscis semina iacta locis.

Argue prudentem, grates aget ille magistro,  
At stolidus uoces oderit usq; piis.

Accipiet iustus manibus tua dogmata laetis:  
Et bona cum tulerit plurima, plura dabit.

Hoc est principium sapientibus, arma timere  
Cœlica, et in Domino figere corda suo.

Scire Deum uiuum, uera est Sapientia nescis,  
Omnia ni toto pectore numen amas.

Accipe

**A**ccipe me uigilem, clamat Prudentia. clamat:

Accipe me, & laetos incipe nosse dies.

**P**er me uitales annos, & regna salutis

Dat bonus, & medio puluere ductor adest.

**D**uctor, at in medio posuit Deus omnia campo:

De uita, aut leto, quod placet, illud habe.

**H**inc te stulta uocat mulier: ne attende uocanti,

Funus in illecebris occulit illa suis.

**I**n foribus sedet ipsa domus, signisq;, manuq;

Attrahit ad laqueos inscia corda suos.

**O** meus inquit, amor, furtiva est dulcior unda:

Sic placeant animo quæq; negata tuo.

**A**h miser, & nunq; tectos uidet esse Gigantes,

Nec circum Stygias castra tenere manus.

**M**ors furit à dextris muliebribus. effuge mortem,

Effuge, nec patrem despice nate tuum.

**S**apientiae & insipientiae collationem ponit,

eamq; sequētibus aliquot Capitebus cōtinuat,

alterius usum commendās, & alterius

damnū cauendum monens.

### CAPVT X.

**D**At genitus sapiēs pleno suo gaudia patri:

Insipiens miseræ pena parentis adest.

Improbæ

## SOLOMONIS CAP. X.

33

Improba mens tandem pœnas dabit usta furoris,  
Iustus à & duro funere liber erit.

Non animam iusti merito mulcetabit honore,  
Aut sinet electos dextra perire patris.

Reddet ab æthereo libratum munus Olympo,  
Vertet & in laqueos impia corda suos.

Dextera diuitias læto dabit alma labori,  
Pauperiem iustum desidiosus habet.

Fraudibus innitens uentos & turbina pascit,  
Et sequitur properas non habiturus aues.

Qui sapit, æstiuis messem sibi congregat horis.  
Inspiens uanis stertit in illecebris.

Ecce caput rectum diuino conditur imbre  
Irrigat, à prauis uertitur ipse uiris.

Verus honor iusto per sæcula cuncta manebit,  
In cineres leues impius ibit homo.

Suscipiet puro sapiens pia dogmata corde,  
At stultus labris ceditur ipse suis.

Est animus simplex sapientior, icta sub orcum  
Fraus erit. heu praua quis uelit ire via?

Pectora decipiens, & ficto callidus ore,  
Non putet innocuam ludere posse fidem.

Innocui uitam inueniunt, ora improba mortem:  
Occultatq; suos mens inimica dolos.

C Suscitat

Suscitat ut rixas, odium; sic omnia delet

(Si qua fides uero est) crimina purus amor.

Qui sapit, ille animis infundit dulcia mella.

Corde super stulto, uirga furorq; sedent.

Divitias quandoq; suas Sapientia texit.

Vt doceat, iusto forma modusq; placet.

Multa pati, non multa loqui didicere docentes.

stultus enim uerbo proditur ipse suo.

Pauper egensq; pauet secum, palletq; tremitq;

Nec sibi qui noceat saeuior hostis adeat.

At diues secum gaudet: sua præmia uirtus

Dat iustis, lætos quod facit esse uiros.

Sic opus ad uitam iusti: fructumq; ueneni

Vir malus, ut proprij criminis ulti<sup>r</sup> habet.

Felix, qui uitæ callem tenet: & miser, astra

Qui fugit, & missas à patre temnit opes.

Fraudibus infandis odium, stimulusq; furoris.

Abscondit uoti perfida tela sui.

Fraternos oculos Iuuenes ne lœdite casti.

Quis uelit in socios improbus esse suos?

Non deerunt multis letalia crimina uerbis,

Prudens, qui uoces temperat ipse suas.

Non magis argentum est nitidū, q; lingua uirorū,

Qui sua diuinis corda dedere sacris.

Sunt

SOLOMONIS CAP. X. 35

Sunt nihilum, nihilumq; ualent mendacia corda,

Qu e uelut amissas disgregat ultor oues.

Erudit iustus, totoq; est utilis orbe,

Indocitus misero pectore semper eget.

Semper eget, duramq; babit per uulnera mortem,

Et patitur gladio uulnera facta suo.

Ditescunt oleo felicia pectora sacro:

Quosq; fouet, laetos dat pater esse viros.

A Domino iustæ uenienti sua gaudia menti,

A scelere indigno incesta ruina uenit.

Heu, uelut in rifa facinus meditatur aernum

Stultus, qui iusti non timet arma Dei.

At sua prudenti sapientia, cernere finem,

Figereq; ante oculos numina sancta suos.

En dabitur iustis, toca quod mente reposcunt:

Et sceleris paenias impia corda dabunt.

Inpius, et tanquam stridens aquilone procellat

Ad nihilum ductus turbinis instar erit.

At quasi fundamen, petra quod surgit ab una,

Perpetui culmen iustus honoris habet.

Vt stupidos rigidum dentes offendit acetum,

Vtq; oculos uerosos undiq; fumus agit:

Sic piger ingratus mittentibus, illicet omnis

Vix studeat Domino mente placere pio.

C 2 Qui

**Q**ui Dominum timet ille suum per sæcula uiuet,  
Huic dabit & claros auctor habere dies.

**A**st annos sine luce graues, & frigora moesti  
Carceris, in peccatas impius hostis habet.

**E**xpectant iusti sua gaudia, uana peribit  
Spes hominum, uacuos quæ finit ire dies.

**I**mproba mens trepidat diro confusa paxore:  
Qui sequitur Dominum tempora læta uidet.

**I**ustus in æternum felici sanguine uiuet,  
Pulsa erit à superis impia uita locis.

**E**cce per innocuam ueniet Sapientia linguam,  
At fallax ipsa fraude peribit homo.

**V**ir iustus placitum pueri meditatur amoris,  
Gliscit in aduersis mens inimica dolis.

**D**iuersa bonorum & malorum opera, diuersosq; euentus exponit.

### CAPVT XI.

**F**raus, dolus, et quicquid uero dissentit ab uno  
Quis speret iusto posse placere Deo?

Pondus amat iustū dominans, & quumq; , bonūq;  
Ordine, mensura, pondere, cuncta ualent.

Ah precor, ah iuuenes, animos frenate superbos,  
Ne miser à proprio uulnere sanguis eat.

Parturit

Parturit horrendos uæsana superbia casus:

Qui cristas animi deprimit, est sapiens.

Simplicitas iustos ad ueram diriget aulam,

Improba sed præsum pectora perdet opus.

Ne tunc, cum uindex prædā, penasq; reposcet,

Sæua tegent falsæ uulnera diuitiæ.

Iusticia innocuos, diuinaq; iussa sequentes,

Librat: & uastæ conterit ora necis.

Simplicibus uirtus calles ostendet amenos,

Corruet in laqueos impia turba suos.

Insidijsq; suis homines capientur iniqui,

At iustos iudex optimus eripiet.

Impius ut moriens letalibus occubat umbris,

Num queat ad superos ipse redire locos?

Tunc spes infelix, curæ & fallentur inanes,

Terreus & miserum qui rapiebat amor.

Iustus ab insidijs puro eripietur amore,

Improbis at furijs exagitatus obit.

Vir simulans labris proprium decepit amicum,

Iustus & in sacro lumine liber erit.

Iustorum nomen læta florescit in urbe.

Perdereq; indignos, lausq; decusq; Dei.

Vrbs pia pro saluis celebrabit gaudia iustis,

Exsolletq; suum per bona corda caput.

*Impia turba dolis, studioq; incumbet auerno,  
Et contra lectos dira uenena uomet.*

*Stultus & imprudens uerum dexit amicum:  
Qui tacet, ille suas pectore seruat opes.*

*Magna animi uirtus medio tacuisse labore,  
Temporis & mœsti uulnera nosse pati.*

*Qui nocet insidijs, commissa arcana reuelat:  
Vir pius erubuit dicere quæ noceant.*

*Ni populū princeps, lexq; intemerata gubernat,  
Ut corpus cassum lumine turba perit.*

*Ast ubi de multis uerax auditur Achates,  
Emicat æthereis ordo salusq; modis.*

*Qui sese uerbis pro falso obstrinxit amico,  
Fallitur: at laqueos qui cauet, effugiet.*

*Fœmina per chariten summos inuenit honores,  
Vir fragilis nullas est habiturus opes.*

*Ad sunt diuitiae, sed non nisi fortibus ad sunt.  
Inuictos animos ferta decora decent.*

*Sunt fortis opes, animo nec robora desunt:  
Et quicunq; cupit uincere, uictor erit.*

*Qui pius est, sese diuina seruat ab ira:  
Crudelis gladio se necat ipse suo.*

*Impius ipse domum nuda construxit arena,  
Iusticie merces optima semper adest.*

Preparat

Præparat æternam felix clementia uitam:

Et mala qui sequitur nomina, lusus obit.

Improba corda parens oculis despectat acerbis,

Simpliciter rectos optimus autor amat.

Iustorum semen seruabitur, impia corda

Mors aget. iniustum quis putet esse Deum?

Vrat odor nares, fit circulus aureus illis:

Pulchra tamen, ni sit scemina casta, nocet.

Omne bonū, solū est, quod uir iustissimus optat:

Impius à uotis proditur ipse suis.

Si facilis Deus est, scelerataq; uota secundet,

In necis infidias improbus ibit homo.

Quām bene rex iustus mortalibus emicat actis:

Horror & anxietas, præmia sunt sceleris.

In miseros socios qui dulcia diuidit æra,

Ditior à dono fit magis ipse suo.

At sua quiraptis ditauerit horrea culmis,

Semper eget, proprium nil nisi crimen habens.

Expectat supero pinguisima pascua regno,

Pectora qui gelidis ægra refecit aquis.

Qui sua reiunis & flentibus horrea clausit,

Cōmeruit durum sic habuisse Deum.

At pius expletam centeno scenore lancem:

Et bona cum fudit paruula, summa feret.

40 PROVERBIORVM

**Q**ui mala, qui furias animo uestigat auerno,  
Corruit inuentis heu miser ille malis.

**A**t bona uera sequens, felici surget honore,  
Et laetum ad ccelos exeret usq; caput.

**Q**ui nummos coluere, ruent, seroq; dolore  
Deflebunt oculos non habuisse meos.

**I**ustus in æternum florentibus undiq; ramis,  
Emitte Domino germina grata pio.

**I**n felix, uacuas & nil nisi possidet umbras,  
Qui turbat propriam nocte dieq; domum.

**S**eruiet indoctus sapientibus: est bonus autor,  
Qui tulit ad radios lumina casta suos.

**I**usticie fructus lignum uitale rependit,  
Et sapiens animas suscipit innocuas.

**S**i decet, & rectos summum trepidare rigorem:  
Quis uetat, ut curis se malus urat homo?

Iustorum & impiorum contrarias  
conditiones enumerat.

CAPVT XII.

**F**elix, qui uitæ cœlestia dogmata ueræ  
Diligit, & magnum concipit ore Deū.

**A**t miser insipiens, sancti qui iura flagelli  
Detrectat, uigiles nec uelit esse patres.

Virbo-

SOLOMONIS CAP. XII. 4<sup>o</sup>

Vir bonus à Domino charitis pia flumina sancto  
Hauriet, & parto tempore diues erit.

Qui tamen in proprijs confidit sensibus, omnem  
Nudus opem, uanos sentiet iſſe dies.

Nam neq; robur habet de turpibus impius actis,  
Nec iustos radix fallere firma potest.

Læta corona uiri mulier, quæ semper ad ipsum  
Spectat, & affectu non ruit ieta malo.

At confusa iacet ſæuo dum carpitur igni,  
Putreficitq; ſuo mens inimica toro.

Iuditium iustus puro ſub corde uolutat,  
Improbis in uotis nil niſi uirus habet.

Impius exultat laqueis, & ſanguine glificit:  
At iustus rectoris liberat ore uiros.

Iustumq; domus nullis non permanet annis,  
Impius infernis uermibus eſca datur.

Nosce uirum uerbo: nullum eſt hoc indice maius.  
Oſtendunt paleas pedora uana fuas.

Sit licet hic pauper, ſoli qui ſufficit uni,  
Diuitibus ſtolidis anteferendus erit.

Nouit ab arce potens animas, quas condidit ipſe,  
Iustus & ad letum uifcera cruda parat.

Vir ſtultus terre indulget, ſtertiq; iacei q;  
Agricolæ uigili fertulis eſca manet.

C 5 Læta

Læta dies illi, læta omnia, uiuere rectum  
 Qui nescit, iusto sumit & illa modo.  
 Dedeceus hic nihil esse putat, nisi perdere mentis  
 Diuitias: ueræ numina diuitiæ.  
 Impius in uotis homini monimenta nefando,  
 Instruit; at radix optima, proficiet.  
 Improbus à labris infernam suscitat iram,  
 Sed medios casses uir bonus effugiet.  
 Omne ex ore bonum, reddendaq; præmia factis:  
 Nullus de cunctis unde queratur habet.  
 Stat Deus aduersus uitij, rigidusq; moueri  
 Non ualeat, ut iusto numine crimen amet.  
 Ergo agite, ô uiuenes, uictis ne cedite monstris:  
 Nec pia magnifici temnire dona Dei.  
 Crescit in admoniti sapiens, gaudetq; doceri:  
 At stultus recta se putat ire uia.  
 Stultus & exemplò sceleratas indicat iras,  
 Callidus à prauo uulnera facta tegit.  
 Notare refert iustus, & uisis iudicat actis,  
 Saucia falsidicus pectora testis habet.  
 Promissor fidus proprio quasi pungitur arcu:  
 Qui sapit, infirmos ut pater ore leuat.  
 Ore leuat medico: nec pharmaca fortius ulla  
 Pellunt à mœstis dira uenena uiris.

Quod

Quod labium uerax patrio deduxit ab ore,  
 Firmum erit, & superā semper habebit opem.  
 At testis mendax funesta nocte sub umbram  
 Voluitur, & structis fraudibus arma tegit.  
 Corde ferens fraudem letalibus incubat Eris,  
 Consilium pacis gaudia uiua gerit.  
 Insurgant furiae, uel Tartara cuncta tumescant,  
 Quicquid eat mundo, gaudia iustus habet.  
 Viq; uenenato nihil est non fleibile cordi,  
 Sic quicquid iusto uenerit est melius.  
 Nec tumet in laetis, nec tristibus infremit horis:  
 O deus, o laetae robora iustitiae.  
 Odit mendaces Dominus, gaudeiq; fideles  
 Cernere, & electae numina dat fidei.  
 Caelat uersutus quod nouerit, insipientis  
 Cor tamen indomitas prouocat igne manus.  
 Proferet imperium fortissima de xera clarum,  
 Seruiet aeratis segnis imaginibus.  
 A sermone bono uenunt pia gaudia menti,  
 Consternit miseror pectora uulnificus.  
 Qui tolerat damnum, proprio dum seruit amico,  
 Iustitiae nomen q; bene iustus habet?  
 At decepta cadent leto corda improba uasto,  
 Et flebunt ueram non habuisse uiam.

Impie

**I**mperia mens laqueos nequicq; efflebit auernos,  
 Cum perijisse suas nempe uidebit opes.  
**I**usticiæ uitam dat semita, funus & orcum  
 Fraus dedit, atq; ipso monstra timenda sono.

**D**iuersa de iustis & impijs, sapientib. &  
 stultis præcepta tradit.

## CAPVT XIII.

**F**ert genitus sapiens patris documēta benigni,  
 Lusor in admonitis lumina claudit iners.  
**M**ens ex ore suo satiabitur entheafando,  
 Impia mens propria perdit utrumq; manu.  
**O**ra sua obseruans animæ seruabit honorem,  
 Stulta loquens uanos sentiet ire dies.  
**S**entiet heu nimium seros post uulnera planctus,  
 Cum male destructis arcibus exul erit.  
**H**eu piger in uarias partes distractus oberrat,  
 Dum cupid, à uotis & fugit ipse suis.  
**A**t pia mens uitæ panem, uinumq; fauosq;  
 Fert sibi, & æthereis pascitur acta cibis.  
**H**æc pingues oleas, & ueræ dona Mineruæ  
 Suscipit, innocuis dum uigilat studijs.  
**I**n fidos uultus, mendacia uerba, dolosq;  
 Odit, qui puro pectore numen habet.

Voce sua

Voce sua mendax proprium confundit honorem,  
 Illusorq; astu luditur ipse suo.  
 Iustitia infontes ab iniquo protegit ense,  
 Improba mens gladio concidit usq; suo.  
 Cerne uices uarias, mutataq; nomina rerum,  
 Et uolue ante oculos uersa reuersa pios.  
 Ex nihilo ditescit inops, diuesq; gelascit:  
 Rex sicut, & medijs pauper abundat aquis.  
 Diues dinitjs animam de morte redemit,  
 Vix pauper medicum substinet ipse suum.  
 Iustorum lumen puræ dat gaudia menti,  
 Impius extinctas ignis aduret oues.  
 Ecce superba phalanx, & nil nisi iurgia cernis,  
 At qui consilio ducitur, est sapiens.  
 Paulatim messor qui colligit, horrea complet:  
 Vanus, qui nullam discit habere moram.  
 Et uenient terris sua tempora, uertitur orbis,  
 Et sunt in uarias spesq; metusq; uices.  
 Spes cruciat mentem, mœstas dilata per horas:  
 At uitæ lignum corda beanda petunt.  
 Pax secura manet præcepta timentibus alma,  
 Et pia se uirtus unde secundet, habet.  
 Errat criminibus mens, diro ut saucia telo:  
 Iustus & in uotis permanet ipse pijs.

Lex sapientis habet ueræ pia flumina uitæ,  
 Nec nisi uerodes dura ruina premet.

Dogma bonum pariet charites, uitamq; decusq;  
 At sceleri, tuto non licet esse loco.

Secta uoraginibus quæ horenū ducit ad orcum,  
 Semita: qui tempus numina, quò agiet?

Consilio pergit prudens, quóc unq; feratur,  
 At stolidus factis proditur ipse suis.

Nuncius iniusti blando suspectus ab ore,  
 At medicus cordis nuncia fida gerit.

Inuida pauperies & nomina sœua laborum,  
 (Non pudet ab fragiles?) uilia corda prement.

Non pudet ab fragiles, somno unoq; iacentes,  
 Deserere optati dogmata casta Dei?

Felix qui ferulae præstat pia colla magistræ,  
 Gaudet & ad ueram posse redire uiam.

Felix quæ uiso gaudet mens entheæ uoto,  
 Sentit & illapsi brachia nexa boni.

Odit stultus eos, fugiunt qui uulnera cauti,  
 Dum socios læti uellet habere sui.

Fit sapiens socijs sapientibus, & scelerato  
 De consorte miser dira uenena trahit.

Criminib; sua poena manet, dum lege superna  
 Persequitur pauidum morsq; furorq; reum.

Stat

SOLOMONIS CAP. XIII. 47

Stat Deus, & puro uenient sua præmia cordi:  
Nec referent linguae, quot bona iustus habet.  
Iniusti ortes, & prædia, iustus habebit:  
Sentiet & fictum non habuisse patrem.  
Externus campos & culta nouaria miles  
Obtinet, ut iustus sanxit ab arce Deus.  
Odit enim natum, uirgæ qui parcit honestæ:  
Est in amore modus, uix habuisse modum.  
Erudit genitum, qui diligit: & prius illum  
Corripit, & Domini uertit ad arma sui.  
Improbis est tandem passo insaturabilis ore,  
Sed pia mens succis pascitur æthereis.

Sapientum & stultorum contraria  
& consilia & opera.

CAP VT XIII.

**C**lara suā ædificat mulier, sapiesq; gubernat  
Stulta sed extructa destruit ipsa domū.  
Rectis perge uix, & numina sancta uerere:  
Quamvis terrenis despiciare uiris.  
Semper enim stultus sapientibus obuiat actis,  
Nec uitio uirtus dura placere potest.  
In terris pugna est, pugnant mundusq; Deusq;:  
Vincit in aduersis ille, uel ille locis.

Prodit

Prodit ab insano uæsana superbia corde,  
 At sapiens frænis lingua retenta suis.  
 Multa seges oculis fæcundum ostentat aratum:  
 Edocet hæc, segnem non habuisse bouem.  
**C**um neglecta tui uideas præsepio fratris,  
 Nulla erat hic dices, & bene, cura boum.  
 Testis fidus adest, qui numina fida tuetur:  
 Mensis in excidio testis iniquus ouat.  
 Tunc nusquā inuenta est Sapientia, cū malus illā  
 Vir petit, atq; astu credit habere suo.  
 At uia rectorum facilis, diuina patescunt  
 Dogmata, uir iustus quod cupid, intus habet.  
 Stultis iniusa est prudentia: callidus œui  
 Arbiter est, propriam qui uidet ipse uiam.  
 Hoc erat, hoc dignum uotis, agnoscere sortem,  
 Et finem mundus cernere quo ueniat.  
 Fallitur in placitis, tandemq; illusus oberrat,  
 Stultus, mops animi nec uidet orat sui.  
 Illudetq; scelus stolidus, & gratia iustos  
 Inter erit fidum quis neget esse Deum?  
 Qui bene nouit opus sceleris, funestaq; uincit,  
 Nolet pro stygijs arma tenere deis.  
 Si semel hic liber tabo subducitur atro,  
 Non uoleat indignis gaudia ferre lupis.

An cupiat nuper diras exuta catenas,  
Mens leuis ad Pharium capta redire ducem?  
Expellet thalamis hostes, abigitq; choreis,  
Si sapit, & cæsa limina claudet oue.  
Erigat iniustus arces, & mœnia fundet,  
At Babylon supero fulmine raptæ cadet.  
Sed pia, nec ferrum, nec edax abolere uetus,as,  
Tecta potest: Iustos tanta corona manet.  
Iusta domus cunctis florentia germina sæclis  
Proferet, & uacuos non sinet ire dies.  
At precor hic nullus ficto fallatur amomo,  
Nomine iustitiae perfida monstra latent.  
Nam quæ fronte nitet, falsosq; ostentat amores,  
Est facies, morbum sed tegit arte suum.  
Est uia cadenti similis, quæ iusta uidetur,  
Quæ tamen ad finem funera sœuadabit.  
Gaudia tunc parient miserum confusa dolorem,  
Et luctus uanis surget ab illecebris.  
Ecce super stultum uero regnabit honore  
vir bonus, & fidens perfida colla premet.  
Innocuus dubitat nihilum, fuditq; loquenti,  
Callidus ex proprio iudicat ore alios.  
Quiq; gerit fraudes, fraudes putat ipse moueri,  
Dum male cuncta suo credit itura modo.

D Degeneri

Degeneri genito non est uia certa salutis,

At seruus sapiens ut bene diues ouat.

Vere ouat, & laetæ spolia illa pheretria famæ

Suscipit, & rectam gaudet habere uiam.

Vir sapiens metuit, ne laedat lumen, & atris  
In uitij clausos tollat honore Deos.

Effugit à prauis peccantibus, & pius almi  
Sub clypeo flatus carnea monstra terit.

Insanus uirtutis iter corrumpit acerbis  
Sentibus at domini fudit in ore sui.

Fudit: & hic quanqus sacro non tangitur igni,  
Sperat, & irati non timet ora Dei.

Sperat opem, & charites, quas pectore pellit ab  
Est stultus, qui sic scinditur, atque ruit. (ipso:  
Heu stultus, quod pellit, amat, quæritque, negatque,  
Victus & à uoto discrepat ipse suo.

Vincitur impatiens furij obstrictus auernis,  
Versutus rectis est odiosus aper.

Stultitiaque noua regnum quassabit auernum  
Paruulus, & princeps fortior iectus erit.

Astutusque nihil confuso intelliget orco:  
Errat qui nondum nomina uersa uidet.

Iustorumque ante ora uirum terrena iacebunt  
Agmina, & ad portas pectora praua pias.

Stultus,

SOLOMONIS CAP. XIII.

Stultus, inops animi, si non in pauperis odit,  
Non mirū est: uanoscens et umbra mouet,  
Tempore fœlici multos numerabis amicos:  
Tempora si fuerint nubila, solus erit.  
Peccat in ætheream, socios qui despicit, artem:  
Felix qui miseris non nisi mitis erit.  
Cunctipotens largis reddet pia fœnora donis:  
Et bona qui tribuit parvula, summa feret.  
Qui domino credit, pius est: nec despicit ullum,  
Qui sibi magnificum postulat esse Deum.  
Infelix, cui non sceleratus displicet error:  
Nec pudet ad Charites uertere terga pias.  
Quæreris, quo laqueo superi capiantur honores?  
Iustitia & pietas dat tibi regna Patris.  
Quæreris, quo studio lemures uincantur auernii?  
Hæc breuiter ueræ munera sunt fidei.  
Vera fides ubi sit, fulgentibus inspice factis:  
Hac caruit sancto qui caret officio.  
Est uerbosus inops: Sapientia pauca, sed alma  
Verba probat: sapiens non nisi diues erit.  
Stultus inops, quamquam picto bene gestat ore.  
Scire Deum, scire est: cætera sunt nihilum.  
Sermo fidelis habet clipeum, quo percutit hostēs:  
At mendax testis nil nisi virus amat.

D 2. Qui

**Qui domini timet ora sui, gerit arma timenda:**

Dat timor electis robora sancta uiris.

**Numē habet, qui numē amat numenq; tremiscit,**

Substinetq; animum spesq; timorq; plum.

**Quiq; uolet furias, infernaq; uincere tela,**

Hic timeat: Domini uita timore uenit.

**Sæua licet, superata omnis fortuna ferendo est.**

Vir patiens, plagis fortia monstra terit.

**Impatiens maiora ruit per uulnera lœsus:**

Vir nunq; uinci se renuente potest.

**Cor bene si ualeat, uires dat carnibus æquas:**

Tabifico morsu pectora liuor edit.

**Horridus, æger, egens puro tractetur amore.**

Pauperibus regem quis neget esse patrem:

**Exprobat auctori, miseros qui offendit & ægros:**

Qui fauet his, gratum sentiet esse Deum.

**Speret iustus opes, & funere regnat in ipso:**

At miserum finem somnus & umbra ferent.

**Ecce super casto gaudet Sapientia corde,**

Et prudens socios edocet ipse suos.

**Iusticia ad superos mortalia pectora format:**

At miserum miseros non facit esse scelus.

**Diligit hunc princeps, qui sacra intelligit ora,**

Et plena uacuum pellit ab æde uirum.

Mansuetudinē

Mansuetudinem ac patientiam probari  
& Deo et hominibus.

## CAP VT XV.

**D**Vrus sermo solet uarios inferre tumultus,  
At frangunt acies mollia uerba truces.  
Vtq; sacros partus linguae sapientis adornant,  
Vir fatuus uerbis proditur ipse suis.  
Spectat ab æthereo populum regnator Olympo,  
Maximus, & iustos inspicit atq; reos.  
Consternit flatum lingua immoderata loquentis:  
At mitis, uitæ dulcia linguae gerit.  
Ridet stultus opes patrias, & dogmata regis:  
Qui sapit, à uetus abstinet ille cibis.  
Abstinet, & cum sit uerbo correptus amico,  
Se docilem uerso non pudet ire gradu.  
Innocuos animis habitus facit entheus uirtus,  
Letalesq; manus auferet una dies.  
Iusta domus fortis, quæ nil nisi numina cernit,  
Conturbant prauum noxq; dolorq; uirum.  
Aethereumq; fluit semen sapientis ab ore:  
Pectora sed stulti nil nisi uirus habent.  
Improba mens quanq; geminis det thura lacertis,  
Nō magis hæc Domino, q; fera mōstra, placet.

D 3 At pie

At pia iustorum uota exorabilis autor  
 Suscipit, & gratum se docet esse Deum.  
 Est uia prauorum diuino exosa regenti,  
 Iusticiae famulos diligit altitonans.  
 Ah nimium infelix, patrias qui deserit oras.  
 Morte mori fatuum quæ neget umbra uirum?  
 Sinequit innocuus ueræ dare semina uitæ:  
 Quas ne precor messes improba corda dabūt?  
 Noctifer esuriens stygio cum surgit ab antro,  
 Non amat ad uerum corda reuersa patrem.  
 Nec perstat nocuisse illis, qui sidera cernunt,  
 Quiq; uolunt passis aduigilare oculis.  
 Læta micat facies cum sunt bona gaudia cordi,  
 Deiijciunt animos tempora mœsta rudes.  
 Qui fuerit sapiens, cœlestia dogmata quæreret:  
 At miseris umbris pascitur insipiens.  
 Prandet apud superos quæ mēs sibi cōscia recūi,  
 Exososq; dies pauper iniquus habet.  
 Præstat diuitijs mens optima, regnat, & astris  
 Clarior est, Dominum qui timet, ille, suum.  
 Cum sociæ mentes puro nectuntur amore,  
 Prandia uel siccum dulcia præbet olus.  
 At si coniuam technis odioq; sequantur,  
 Fel dabit, hybleas qui tibi donet apes.

Vtq;

Vtq; insanus homo funestas suscitat iras,  
Sic patiens uerbo conterit arma suo.  
Est uia iustorum nullis offensa periclis,  
Et tribulis septum pergit auarus iter.  
Gaudia dat sapiens uero innumeranda parenti;  
Stultus homo matrem despicit, & cruciat.  
Gaudet ad errorem stolidus, prudensq; tremiscit,  
Ad Dominumq; suos dirigit usq; gradus.  
Vt sine consilio quicquid mens cogitat, errat.  
Pluribus in uotis eligit hæc melius.  
Optimus est sermo cum tempore: gaudia iusto  
Sunt homini, uerbum cum uidet esse suum.  
Quem Deus erudit, furias horrescit, & Orcum,  
Et fugit infernas hostis ab hoste notas.  
Destruet elatas arces, regnumq; superbi  
Pectoris, & tumidas conteret Autor opes.  
Enuidiam mentem rapto infirmabit honore,  
Odit enim purus corda maligna Deus.  
Respuit ora uidens occulto tincta ueneno,  
Sumit & à uerbo simplice delicias.  
Seruus auaritiae proprio se vulnerat ense,  
Viuet qui prauo munere liber erit.  
Dant pietasq; fides lapso purgamina cordi,  
At Domini recta dat timor ire uia.

Mens pia supremos regis meditatur honores:  
 Improba uox stygijs nempe redundat aquis.  
 Ut procul à cunctis charitas æternā tyrannis,  
 iustorum gemitus audiet omnipotens.  
 Ex oculis flat læta dies, fama optima dulcem  
 Dat requiem, à nullo limine numen abest.  
 Qui recipit pessis cœlestia dogmata uenis,  
 Hunc medio procerum læta corona manet.  
 At qui doctorem despicerit impius, illi  
 Nil nocet, ast animam despicit ipse suam.  
 Discite mortales Patrem Dominumq; timere,  
 Hic timor, hic falsos territat orbe deos.  
 Hoc famulos monitis cœlestibus imbuit autor,  
 Disceret ut Dominum terra superba suum.  
 Ut qui dulce iugum terreno gestat in orbe,  
 Speret ab unito regna paterna Deo.

In Domini manu esse omnia , neq; quicquam  
 ipsum latere, et ex eius arbitrio  
 cuncta disponi.

## CAPVT XVI.

Ad do-

**A**d domini laudes fragrantia tendere uota  
Incipe uir, noto nec moueare Deo.

Siste Deo, dedit ille tibi, quod numina sentis,  
Et radios animo dat pius ille tuo.

Præbe animum docilem, cui nox hyberna per  
Displaceat, recta qui uelit ire uia. (umbras  
Ipse gubernator linguam bonus, atq; potentes  
Affectus uerbo, fidaq; corda dabit.

Dat celeres pennas animo Deus ipse uolenti,  
Fitq; bonum toto quicquid in orbe Dei est.  
Cuncta patent Domino, qui condidit omnia san  
Ecce hominum totas inspicit ille uias. (do.

Ponderat ille animos, arcanaq; robora censet,  
Et multo acceptas fœnore reddit opes.

Nil facias quod turpe putes, si creuerit auor,  
Namq; uidet quicquid noxq; scelusq; tegunt.  
Ut clypeum miles si corda micantia gestas,  
Conditor affectus diriget ipse tuos.

Magnus et omnipotēs per se facit omnia rector,  
Et simul ad prauum perdita corda diem.

Odit mendaces Dominans, oditq; superbos.  
Infelix qui se dixerit, & nocuum.

Iusticiam quicunq; facit, non uictus ab ipso,  
Ad cœlos primum iam mouet ille gradum.

8 PROVERBIORVM

Iusticiae nomen plusquam placet hostia regi,

O deus, o sanctae numina iustitiae.

Si sceleris cupias furiosa irrumperem tela,

Hoc cura, ut uerus sis precor, atque pius.

Si Domino placeas, plenis dabit omnia uotis,

Ad pacem hostiles et trahet ipse manus.

Quid timent, cui numerus adeat, quo tartara uincat,

Quo blanda infernos uinciat agna lupos?

Quo cœlum terramque liget, quo pace sub alta

Carnem, animam, uincis uniat ethereis.

Felix qui minimum, si recte, possidet agrum:

Infelix diues, si sceleratus erit.

Vir disponit iter, sed suscitat autor amorem,

Vtque pater gressus dirigit ipse pios.

Regi arcana patent, nec fallitur optimus, omnem

Iudicio mundum iudicat hic stabili.

Struxit et hic multis prægnantia sœcula formis:

Quæque Deus iussit, singula pondus habent.

Iusticia Domini solium firmatur, et inde

Inuisa est oculis impiæ turba pijs.

Charaque iustorum ducibus sunt labra benignis,

Rectus et à summo principe recta loquens.

Ira regentis adeat horrendi nuncia facti,

Vir sapiens uerum placat amore patrem.

Rex

Rex hilaris uultu uitam prætendit; & eius

Est pietas populis, ut bonus imber agris.

Auro atq; argento est melior sapientia primo.

Hanc cape, & æthereas conferet una dapes,

Semita iustorum uepres ignorat, & angues,

Prospiciens animæ non cedit hoste suæ.

Concidet antè tumens sensus: animumq; superbū,

Iudicio iusto mœsta ruina manet.

Est melius parua cum mitibus esse sub æde,

Quam cum uesanis r:mpere castra uiris.

In Domini uerbo prudens inuenit honorem,

Et quæ multiplices uix numerentur opes,

In domino fidens terrestria monstra fatigat,

Et feret à grato regna paterna Deo.

Quisquis corde sapit, prudens dicetur in orbe,

Et cumulum uotis dulcia uerba dabunt.

Dogma uiri, uenis numen qui possidet altis,

Fons uitæ: at fatuo funus & umbra, uiro.

Cor sapientis habens diuino numina lapsu,

Dat charites labris doctaq; uerba suis.

Cum mens sana micat, uiuo nec subditur acri,

Gaudet, & à uerbo dulcia mella capit.

Est uia, quæ lippos oculos ignota sefellit,

Quæ trahit ad strygiōs prodita corda lacus.

Hanc

Hanc fuge, et à monstribus gressus auerte nefandis,  
 Fontibus in gelidis mixta uenena latent.  
 Ecce uenenatas per prata harentia nymphas,  
 Ecce inter medias funera delicias.  
 Corporeis mens alta malis impulsa laborat,  
 Dum sitit, & gelidas percita quærit aquas,  
 Insipiensq; fodit puteum, quò corruat amens:  
 Vritur & flammis, quas uomit ore, suis.  
 Hoc scelus, hoc scelus est, quod litē & iurgia tra  
 Quid facis? ah socio debita solue tuo. (etas,  
 Cur uerbosus inops, ut iniquos separat hostes,  
 Quos bonus ætherea cōgregat unctus aqua?  
 Allecta q; comes miserum peruersus amicum,  
 Et socij fallax uulnere ductor ouat.  
 Discite mortales oculis non lädere uestris:  
 Läditur à proprijs, qui nocet, ille malis.  
 Sitq; senex iustus, multo tractatus honore,  
 Utq; pater pueros corrigat ille meos.  
 Non parum est didicisse pati, frenisq; tenere  
 Rectum animum soucis ne ruat ille malis.  
 Maius opus qui se, quād qui fortissima uincit  
 Menia, non uirtus altius ire potest.  
 Sors suacuiq; patet, sed dat Deus omnia princeps.  
 Et nihil à cunctis, ni uelit ille, feres.

Dimidium

Dimidium præstare toto, & prudentem omnibus sese attemperare.

## CAP. XVII.

**P**Ræstabit parcā, si sint tibi gaudia, mēsam,  
Quām mala de lautis iurgia ferre cibis.

Si sapiat seruus, natos excellet iniquos,

Atq; inter fratres regis habebit opes.

Ignis ut argentum, fornaxq; ut perficit aurum,

Sic deus in plagis pectora iusta probat.

Vir malus & fallax linguae subdetur iniquae,

Cœcaq; mens morbo seruiet ipsa suo.

Exprobat auctori, miserum qui despicit ægrum,

Et sibi quæ data sunt perdere dignus erat.

Ne tu delicias à uulnere fratriis habeto:

Qui gaudet uisis, sit miser ille, malis.

Gloria natorum patres, patrumq; corona

Est soboles, at auos uerè imitata suos.

Compositum uerbum stulto non conuenit ori,

Nec regale caput perfida labra decent.

Haud equidem ingratum ueri spes nutrit amore,

Spe placidam uitam qui bene cernit, habet.

Qui

62 PROVERBIORVM

**Q**uis scelus occultat blandum sibi querit amantē,  
Et repetens uerbum fœdera diminuit.

**Q**ui centum plagis stolidum uix corrigit unum,  
Prudentes animas perficit eloquio.

Improbis heu lites, & nil nisi iurgia querit,  
Hunc tamen ad letum cruda procella uocat.

Angelus arcitenens flammato letifer ore.

Sæcum Erebi furijs perdomitus adest.

Ante q. si sapias, orbatæ occurre leenæ,

Quam sua qui fatuo fudit ob arma uiro.

**Q**ui mala uulnificus pro donis reddidit almis,  
Debet continuis uulnera ferre malis.

Indiget auxilio, qui non tulit: & pia membra  
Qui feriat, gladio concidet ipse suo.

**Q**ui dimittit aquam, caput est ad iurgia, certum  
Iudiciumq; negat, dedecus effugiens.

Iustum condēnans, scelerataq; pectora laudans,  
Est ante iratum prauus uterq; Deum.

**Q**uid iuuat insanam congesta pecunia mentem,  
Si nequeunt sensum reddere diuitiæ?

**Q**ui superas arces, elataq; culmina tollit,  
An nescit casus alta timere suos?

**E**cce domum instabile, perituraq; incenia cernis,  
Scenior ex alcis facta ruina locis.

**Q**ui

*Qui nescire cupit, diuinæ aut pœnitent auræ,  
Incidet in foueam noxq; scelusq; tuam.*

*Vir quem uerus amat, nulla non diligit hora:*

*Qui tibi sit frater, tempora moesta docent.*

*Stultus homo plaudet manibus, cum obstrinxerit*

*Vt faciat falsam uox temerata fidem. Cillas,  
Qui bellum aut enses animo meditatur acerbo,*

*Hic parat infestos uoce ciere uiros.*

*Ad letum inferno tanquam uocat agmina fistro,*

*Et septem furias improbus ore uomit.*

*Mens peruersa animo rectum non inuenit usquā,  
Inq; malos casses lingua reuersa perit.*

*Ah taceant, taceat, qui nigrū in candida uertunt:*

*Quiq; male amisit, non male querat opes.*

*Nascitur ut stultus maternæ in dedecus aule,*

*In fatuo nato non pater est hilaris.*

*Florescit corpus, si sint bona gaudia menti,*

*Spiritus at curis tristior ossa cremat.*

*Lura ferens, leges precio ne uendat auaris,*

*Ne pereat sancti semita iudicij.*

*Prudentis casto lucet Sapientia uultu,*

*Stultus habet misero lumina fixa solo.*

*Filius insanus uerecundo est ira parenti,*

*Et dolet in stolido mater acerba suo.*

Damnum

Damnum inferre viro, de te nil tale merenti,  
 Non licet, aut rectum dente ferire ducem,  
 Dignū opus est doctis uocem cohibere uagantē,  
 Ne plusquam recto conuenit illa fluat.  
 Ipse etiam stultus sapiens dicetur in orbe,  
 Si sciat hic labris ponere frena suis.  
 Est operæ precium cœlestia dicere facta,  
 Est etiam iusto nosse tacere modo.  
 Stulum et impium non uereri, quiduis  
 etiam mali dicere  
 & facere.

## CAPVT XVIII.

**Q**ui cupit à socijs fraterna resoluere uincula,  
 Ad bellum causas fingit habere nouas.  
 Exprobat hunc quisquis puro ductatur amore,  
 Noscit & æthereæ pignus amicitiae.  
 Non recipit stultus preciosi uerba magistri,  
 Sed sibi quæ placeant cuncta licere putat.  
 Ah nimum infelix flatum qui despicias alnum,  
 Vnde tibi qui te sic amet alter erit?  
 Impius extremum sceleris cum uenit ad orbem,  
 Contemnit Domini dogmata sancta sui.  
 Non tamen ætherea nequicquā spectat ab arce  
 Hunc deus, est prauo poena parata viro.

Durum

Durum opus est Erebi suscepta expellere mōstra,  
Hārent in uitijs ipsa flagella malis.  
Et furiae ultrices, & nomina sœua dolorum,  
Dedecus et summum corda superba premunt.  
Ore uiri innocui latices fluxere profundæ,  
Qui sapit, hic uiuis nemper redundant aquis.  
Aequa lance omnes qui iudicat usq; sequatur,  
Iustitiæ rectam uult bonus esse uiam.  
Iniustos iustosq; tene sub fœdere patris.  
Omnibus his iustum uult Deus esse locum.  
Miscet se rixis stolidus, & iurgia uerbis  
Prouocat, ut flammis non minus ore nocens.  
Conteritur stultus uerbo quod fundit ab ore,  
Et rea mens labris concidit usa suis.  
Non opus est paruum, uarios uitare belingues,  
Serpit ad internas tabida pestis aquas.  
Degeneres animos timor exturbauit Olympo,  
Tristis & esuries mollia corda premit.  
Mollis ab ingressu diuinæ pellitur arcis,  
Et fugit, & turpi uulnere cæsus obit.  
Arce rogas quali rabido tuearis ab hoste?  
In Domini summi nomine tutus eris.  
Nomen babet Domini fortissima mœnia magni,  
Quæ nunquam stygium pertinuere lœnem.

E Iustus

Iustus ad hæc miles gressu properante cucurrit,  
Et data constanti uera corona duci.

Duitis urbs animi ualido circundata muro,  
Per superas charites robur & arma tenet.

Elevat ante Charis mentē, quam conterat ipsam:  
Et prius hanc humilem, quam sua regna facit.  
Audiat ante decet, quam det responsa sub auras,  
Cui male cum stolidis non placet ire uiris.

Spiritus æthereo quem rex pius afflat amore,  
Sustentat fragilem ne ruat ille uirum.

At male si fuerit turbata percitus ira,  
Non bene se frænis sustinet ipse suis.

Cor prudentis habet diuini lumina ueri:  
Qui sapit, ut summas dogmata quærit opes.

In terris claros homines facit inclyta virtus,  
Et parat emerito regna superna uiro.

Non proprijs meritis fudit, non robore iustus,  
Accusat motus sed prior ipse suos.

Aduersas uoces sors comprimit, atq; potentes  
Iudicat, & dubias non sinit esse manus.

Vrbs firma est, quæ frater amat, atq; adiuuat ipse,  
Iudiciumq; urbis uectibus est simile.

Fructibus & uenter fœcundi implebitur oris,  
Pectoraq; ex labris sunt satianda suis.

SOLOMONIS CAP. XVIII.

67

In manibus linguae, uitæ est et mortis imago,  
Inter dilectos conferet illa cibos. Clus.

Quæcunq; æquor habet, quæcunq; et gaudia tel  
Hæc, bona si fuerit fœmina, cuncta dabit.

Omne bonū inuenit, cui cōtigit optima cōsors,  
Poculaq; à grato hauriet alma Deo.

Quæcunq; æquor habet, quæcunq; pericula tel  
Orbatus uera coniuge uir subiijt. Clus,

Stultus et insipiens nulla medicabilis herba est,  
Fœmina quem technis fertq; refertq; suis.

Obsecrat, et blandis ambagibus æger oberrat,  
At diues rigidum proferet ore sonum.

Gratior et comiti, si sit tibi uerus amicus,

Quam tuus ex proprio sanguine frater erit.

Paupertatem non contemnendam esse, cuius  
etiam bona commendat, & ad  
patientiam ac uirtutem  
hortatur.

CAPVT XIX.

**E**N miser est diues, cum dura retorserit ora,  
Pauperis est magnum simplicis imperiū.  
Mors animæ certa est, si nesciat ipsa uigorem,  
Quem sibi de gremio dat Charis acta pio.

E 2 Profuerit

Profuerit nihilum sine numine cura fauenti,  
Cernis festinos ante ruisse pedes.

Stultitiam uidi gressu cecidisse superbo,  
Aduersumq; Deum qui sibi seruit habet.

Addunt diuinitae socios: at pauperis ædes  
Nescit, & in diro tempore lusor abit.

Effugiat quamuis prætoria testis iniquus,  
Effugiet iusti non tamen ora Dei.

Plurima turba colit nomen nummosq; potentis,  
Obseruatq; ipsas falsas amicus opes.

Paupertas fratres hostes facit, atq; relinquit  
Sæua manus, mœstum, cum iacet ille, uirum.

Sectatur uentos, qui nil nisi uerba requirit:  
Qui sequitur mentem, pocula mellis habet.

Inueniet prudens quicquid sibi postulat, illum  
Namq; uident oculis numina sancta pijs.

Non decet in stultos preciosa refundere dona,  
Nec seruis magnum conuenit imperium.

Noscitur in plagiis uirtus, tolerantia reddit  
Illustres, flammis tersa metalla micant.

Vincit uictorem patientia: summa uirorum est  
Gloria, funestas non habuisse manus.

Infremit ut stabilis leo feruidus, ira seueri  
Regis, & erectas uix tenet ille manus.

Herba

Herba uelut supero maduit gratissima rore,

Sic hilarem regem florida turba capit.

Vtq; domus, tectis glaciem quæ instillat ab altis,

Sic nocuit lites quæ grauis uxor amat.

Divitias natis atani linquere secundi,

Prudentem uxorem numina sola dabunt.

Pigra uocant tristes & inertia pectora somnos,

Esurientq; suo corda relicta Deo.

Qui pius obseruat summi præcepta parentis,

Et seruare animam gaudeat ipse suam.

Qui malus autorem neglexerit, alta docentem,

Quām miser hic, gemina morte peribit homo?

Qui tulit auxilium misericordia fœnora certus

Expectet: gratum nam liquet esse Deum.

Edoceat natum genitor, quod conuenit illi,

Ne suus ex nati uulnere sanguis eat.

Impatiens maiora ruet per uulnera cæsus,

Non decuit rectos ira, furorq; uiros.

Audite hæc iuuenes, & sacra reuoluite uerba,

Præmia uel penas, dicere finis habet.

Fine micat sapiens, & uerba nouissima Rhetor

Eligit hæc, cause quæ magis apta sonent.

Iexitus acta probat, careat successibus ille,

Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Multa uiri secum uario sub corde uolunt:

Quodq; Deus uoluit, tempus in omne manet.  
Nostra homines miseris doceat natura dolere,

Quandoquidem multa semper egemus ope.  
Præstat pauperiem, duros et ferre labores,

Perdere quam sanctæ nomina iustitiae.  
Non bonus erubuit Dominum patremq; timere,

Dives erit Domini qui timet ora sui.  
Hic timor infernas gladijs cœlestibus arces

Destruit, hic animos ducat ad astra pios.  
Aethereis dapibus non admouet improbus ora,

Nec pigrum fratris uisa ruina mouet.  
Stultus ab irato fit doctor ipse flagello,

At sapiens summam sentit adesse manum.  
Qui patria in uitj afflixerit ora nefandis,

Dedecus in miserum præcipitatus erit.  
Quiq; ferox uultu matris fugit oscula castæ,

Ibit ad immundas irrediturus aquas.  
Ne cesses audire patrem, uerbumq; salutis.

Et moueant sensus dogmata sancta tuos.  
Mens funesta babit sceleris fomenta nefandi,

Iudicio irriso testis iniquus ouat.  
Digna tamen stolidi referent tormenta tyranni,

Et sceleris pœnas corpora cœsa dabunt.

Ab omni uitiorum genere dehortatur, timoremq[ue] Dei commendat.

## CAPVT XX.

**E**T Venus, et Bacchus uario nos uulnerat en  
Corda, animū, ac uires hostis uterq[ue] (se:  
Hostibus his sapiēs aduerso obstabit amore. (rapit  
Est uirtus ueritis abstinuisse iocis.

Vt leo Marmaricus Lybicas dum calcat arenas,  
Sic Domini terror pectora fracta quatit.

Hunc quicunq[ue] suis ultorem prouocat actis,  
Se sciat in damnum tela ciere suum.

Ecce honor est homini, qui se de lite dolisq[ue]  
Separat, & iusto iurgia nulla placent.

Dedecus, & multo caput irreparabile somno  
Gestat, qui sese litibus implicuit.

Dum piger hybernas hyemes & frigora sœua  
Pertimet, in stabulis linquit aratra suis.

Ergo ubi per campos iam feruida canduit æstas,  
Esurit, & nullas inuenit ille dapes.

Consilium cordis hausi sapientia, sicut  
Ex puteo summum ductilis urna lacum.

Sunt homines multi, pietas quos flectit amore,  
Rara uis in terris nempe fidelis adest.

Felices natos, et fortunata relinquunt  
 Semina, uir simplex, quem Deus unus amat.  
 Sede sedens æqua rex partem spectat in omnem,  
 Intuituq; suo dissipat omne malum.  
**O**tumidi iuuenes, oculos summittite uanos,  
 Ne uos de uobis præcipitate senes.  
**O**mnis turba uirūm furijs agitatur acerbis,  
 Se mundum, aut purum dicere quis ualeat?  
**M**ensura, et pondus, et quod uox carnea laude  
 Tollit, apud iustum claudicat omne Deum.  
**Q**ui puer est mundus, uitijs nec cespitat atris,  
 Hunc poteris proprio noscere tu studio.  
**Q**ui sonitus aures, oculi quæ lumina captant,  
 Debuit auctori lingua referre suo.  
**C**ur ingrate times, aut per data dona superbis,  
 Nosce precor Dominum prodite nate piūm.  
**Q**uid facis aut qua spe sub somno et nocte mora  
 Pande oculū, et ueros accipe nate cibos. Cris.  
**E**xcedit gemmas Sapientia, purius auro  
 Dogma Dei, prudens inspice ne pereas.  
**L**iber erat, qui se pro uero obstrinxit amico:  
 Soluat ut illius debita, pignus habe.  
**D**electant iuuenes mendacia, sed tamen olim  
 Reddent de hanis pensa seuera iocis.

Conſilium

Consilium fusis dat robora mentibus, & qui  
Castra locat, patulis non locat illa locis.

Temne precor linguas, nota atq; ignota loquētes,  
Et socij ficti dira uenena caue.

Qui patri matriq; suæ non præstat honorem,  
In tenebras mentis lumina perdit iners.

Absq; Dei nutu uanum est tibi currere nate,  
Nil poteris, summum ni tibi numen adest.

Paulatim complenda tuo sunt hori ea campo,  
Sedulus extremo cespitat ipse gradu.

Inter & os offamq; ipsos fortuna lacertos  
Lusit principio, prospera fine gemunt.

Plagas pro plagis, & tela rependere telis,  
Qui cupid, est nostri non memor ille Dei.

Hostiles pensare uices non conuenit illi,  
Qui uocat ad causam numina sancta suam.

Dirigit omnipotens hominis uestigia chari,  
Nulli hominum propriam dicere posse uiam.

Desine cælicolis ingentia dicere uota,  
Si te propositi pœnitet ætherei.

Frangere uota nefas, superos illudere non est  
Securum, ueros conuenit esse uiros.

Constantes nos esse decet, uotiq; tenaces,  
Infirmam fidei non decet esse fidem.

E 5 Dissipat

Dissipat aduersas turbas sapientia regis,  
 Et super has firmum fornice curuat opus.  
**A** Domino ueram mens suscipit ardua lucem,  
 Inq; Deo cunctos inspicit illa gradus.  
**R** Rex pius & uerax, digno obseruatur honore,  
 Dat pietas firmum regibus esse thronum.  
 Viribus exultant iuuenes, canisq; parentes,  
 Obseruat dignos florida turba senes.  
 Vir liuore suo uulnus medicatur acerbum,  
 Sæuior est imo pectore plaga latens.

Cordium inspectorem Dominū, pietatem præ  
 ferre uictimis: eiq; esse propitiū, qui  
 proximum diligit.

## CAPVT XXI.

**R**Egi a corda Deus patrias inclinat ad artes:  
 Agnoscūt dominū: quō uoleat autor, cūt.  
 Credit iter rectum gradiens carpsisse uiator,  
 Appendit iustus corda animumq; Deus.  
 Plus domino pietas, quam uictima larga placebit.  
 Grata Deo rectis hostia iudicijs.  
 Gaudia sunt cordi, cū lumina cernit & astra,  
 Improbā mens oculos inficit ipsa suos.  
 Paupertate

Paupertate pigrum torquet malus exitus omnem,  
Robustus gemina semper abundat ope.

Huius opes mundi falso qui congregat ore,

Fit miser, & tandem parta uenena uidet,

Ad laqueos mortis pinguedine flebilis ipsa

Ducitur, & raptas perdit auarus opes.

Impius in gestis faciet sua busta nephandis,

Et ruet a uotis proditus ipse suis.

Dissonat a uero fallax uia, dissonat omnis,

Improbis a iusto tempus in omne Deo.

Mens pura impuris affectibus abstinet, & cum

Quid petit, a firmo non cedit illa bono.

Præstat si sedeas scythici miser incola Tauri,

Et rudis in duro sit tibi mensa solo:

Quam mala si coniunx te litibus implicet altis,

Detq; tibi Argium torua marita merum.

Optat funereas homini mens impia sortes,

Perfidus & misero non miseretur amor.

Infelix, quem non ætas iam corripit ipsa.

Plus ualet insano parvulus ore senis.

Nunquam impune animis petitur sapientia iustis,

Ad noctem incerti ne properate uiri.

In iustum iustus puro deslebit amore,

Et cupiet quali detrahat arte nefas.

Pauperis

Pauperis ad uocem surda qui obduruit autem,  
Inueniet uerbis numina dura suis.

In miseros patrio qui non moueat amorem,  
Non habeat dominum per sua uota pium.

At trifidos gladios, et inexorabile fulmen,  
Tollunt a magno munera sancta Deo.

Aspicit omnipotens ægris abscondita pannis,  
Munera, et in seruis se putat esse suis.

Extinguitq; scelus pietas, culpisq; sepultus,  
A consolato paupere uiuit homo.

En pauor umbripotens uitium comitatur acerbū,  
Per uirtutis opus gaudia iustus habet.

Inter nocturnos proceres, cæcosq; gigantas,  
Ignorans uitæ dogmata sancta gemet.

Fleuit egestatem, mensas qui querit eburnas,  
Et Bromio nullus consule diues erit.

Fæmina quæ rixas, inferno instillat ab ore,  
Hanc Dominus sociam non uelit esse meam.

Diuinitas dulces oleumq; in uulnera lectum,  
Innocua iustus possidet ipse domo.

Hoc tamen imprudens admisso dissipat hoste,  
Dum uocat infernos in sua uota canes.

Iusticia et pietas lumen uitamq; sequenti  
Dant homini, et summū perpetuumq; decus.

Ascendit

Ascendit sapiens arces, atq; urbe potitus,

Aequauit misero cuncta timenda solo.

Ora sua & linguam uerbis qui seruat amaris,

A duro hic animam liberat hoste suam.

Multa loquens leti foueas incurrit in altas,

Et rectum uasto gurgite perdit iter.

Inscius est proprijs qui fudit uiribus, & qui

Extollit sensus ob sua facta suos.

Quiq; tumens nimium grata sibi mente superbit,

Hic fœnum, & uermes nō uidet esse homines,

Qui piger est, uoto miserabilis occidit ipso,

Nec mouet hic dextras ad bona facta suas.

Vellet regna Dei, nullo sed parta labore:

Ah miser, iniustum sic putat esse Deum.

Retribuet iustus charitatem sua corda, nec unquam

Cessabit domini dicere dona p̄ij.

Non placet empyreo nec ductilis hostia regi,

Læsa per immundas quam tulit ara manus.

Verè humilis gemino surget super astra triumpho,

Et dupli mendax morte peribit homo.

Impius in uerum uultus obfirmat iniquos,

At rectus propriam corrigit usq; uiam.

Aduersus Dominum nulla est sapientia magnum,

Restant irato nulla creata Deo.

Conſilium

Conſilium, uires, hominis prudentia, cœlum,  
 Et terra, in ſumnum nil ualueret patrem.  
 En potes ad bellum currus equitesq; parare,  
 Viētorem ſolus ſed Deus efficiet.  
 Hic ualet in pugna placidum præſtare trophæū.  
 Hoc ſine uel muſcas uincere nemo poſteſt.

Diuitijs præſtare honestam famam, ab iniuria autem & pigritia cauen-  
 dum eſſe.

## CAPVT XXII.

**P**RÆſtant diuitijs bona nomina, uincitur illo  
 Qui chariten, multas qui cumulauit opes.  
 Obuius eſt ægro diues, concurrit uterq;  
 Sed gerit à Domino pignus uterq; ſuo.  
 Læditur à danno cui ſe male credidit inſons,  
 Occultat uarios callidus arte ſinus.  
 Hunc habet in nobis preçioſa modestia finem,  
 Ut diſcant Dominum corda timere ſuum.  
 Diuitias famaniq; optat, gladiosq; ſuperbus,  
 His cupid aduersa iuſtus abeſſe uia.  
**Q**uo ſemel eſt imbuta recens feruabit odorem  
 Testa diu, & puero ſunt quoq; grata ſeni.  
 Pauperibus

Pauperibus diues renuentibus imperat agris,

Quiq; subit duri sc̄enora seruus adest.

Respondent fulc̄is sua semina, colligit omnis

Vir mala, qui dextris seminat illa suis.

Qui pius est, pietatis opes expectet ab alto:

Qui dedit & miseris paruula, magna feret,

Pro leuib̄s meritis superos acquiret honores

Vir pius, & belli tempore uictor erit.

Suscitat irrisor lites, & iurgia fratrum,

Hunc pelle, in tuta si placet esse domo.

Mundiciam cordis qui diligit, hoste fugato

Per Chariten, regi uerus amicus erit.

Custodit Dominus quem respicit, et pia tendens

Lumina, felices non finit esse dolos.

Dū piger est trepidus, dum cuncta pericula pallet,

Gratus apud Dominum non ualet esse suum.

Hoc habet a uitijs mēs improba, quod timor altus

Hanc premit, iratum dum uidet esse Deum.

Stulticiam pueri medio sub corde ligatam,

Dogma pium illapsi numinis imbre teret.

Qui mala uulnificus miseris & egentibus hostis

Intulit, hic iustum non putat esse Deum.

En eget auxilio, qui non tulit: utq; peremit

Immeritum, nulla sic morietur ope.

Dition

Ditior adueniet, qui prædam eſſa furtarē reposcat,  
Et rapiet raptas criminē diuitias.

Nate, pium numen uacuas ne uerberet aures,  
Verba Dei, ut summas ſuſcipe lætus opes.

Cor precor ad uultus generosæ dirige famæ,  
Pectoreq; in ſummo uerba parentis habe.

Pulchra tibi hæc fili ſunt dogmata, ſi ſemel intus  
Inſpicias, uifo nec moueare bono.

Parturit in labris ueri doctrina regentis,  
Cum ſolo uitæ principe fidit homo.

Fide Deo, eſſa furias turbæ illaqueabis auernæ,  
Fifus eſſa in ſupero lumine lumen habe.

Ecce tibi eloquijs pandam pia dogmata caſtis,  
Ecce tibi à chartis uita ſalusq; meis.

Tripliſter nato deſcripſimus alma legenti  
Dogmata, ſi uacuos non uelit ire dies.

Hæc ſunt in formis, animus quas cogitat ingens,  
Et quæ diuina pene uidentur ope.

Hiſ equidem à Domino conſtantia uera docetur,  
Et iura immotus quæ tulit ore Deus.

Hiſ imbute ſacris atauos imitabere regeſ,  
Qui nunquam uera diſſiluere uia.

Ille ingens animus, qui terrea monſtra fatigat,  
Degener eſt, uanis uictus in illecebris.

Non

Non uiolentus atrox in pauperis antra resurgas,  
Pauperiem miseram uincere quid nimium?  
Si caput indomitum, si cristas erigis altas,  
Te iuuet in uitijs uincere monstra feris.  
Pauperis innocui nulla est uictoria fili,  
Contere sub frenis corda superba tuis.  
At miseros gemitus porta ne contere dura,  
Pro misero iustus suscipit arma Deus.  
Gestit omnipotens miseros defendere ductor,  
Tutatur causam rex bonus ipse suam.  
Innocuos fecit, nec deserit ipse sub alis:  
Contegit, et ueros seruat ab hoste pios.  
Dat quoq; torquenti sua præmia, uerberat illum  
Quem uidet immeritis uerbera ferre uiris.  
Horrendum fugit agna lupum, ceruusq; leonem:  
Tu furijs actum ne comitere uirum.  
Addictos uitijs lateri ne adiunge sodales,  
Terabidis prædam moribus obijcent.  
Atrocem socium, ne te malus auferat ignis,  
Effuge, quis tutum speret ab hoste locum?  
Paulatim serpunt diri contagia morbi,  
Effrenes socios effuge, ne pereas.  
Nec male te uadē pro dextra obstringe superba,  
Ne tuus ē socij uulnere sanguis eat.

*Antiquos calles ne desere, ne i'ue priorum  
Linque iter, aut patrias transgrediare notas.  
Temporis impatiens sensus ne extende supinos:  
Ante Deum celeres quid potuere gradus.*

*Moderationi per omnia studendum, neque pu-  
erorum disciplinam negligendam.*

## CAP VT. XXIII.

**T**E quoq; cū princeps mensas inuitat ad altas  
Pande oculos, animæ sis memor atq; tuæ.  
Nec tua mens escas antiquo ex hoste reposcat,  
In quo falsa seges nil nisi uirus habet.  
Nec tibi diuitias nimio perquire labore,  
Cernis opes mundi quam breuis horarapit.  
Pone modum uotis, ne te miseranda cupido  
Præcipitem meritis implicet usq; malis.  
Nepete quæ nequeas inuita sumere sorte,  
Nam fugient captus summa negata tuos.  
Inuidus in cœnam ne sit tecum. æstimat ille,  
Quod nescit, uisis uritur atq; bonis.  
Ille dapes placidas ambabus porriget ulnis,  
Sed tibi ni fugias tecta uenena parat.

In

In uomitu pones animam summamq; salutis,  
Pulchraq; sic uentis tradita uerba uides.

Nec dabis electum uerbi insipientibus aurum,  
Despicit eloquium mens temerata pium.

Ne tu debilibus curandis, atq; pupillis,  
Vim facias: iustus iudicat ista Deus.

Stat deus, atq; hastis pro paupere pugnat acernis,  
Proq; suo fortis sanguine tela gerit.

Ingredere ad puteum ueri, laticesq; salubres,  
Et geminis labris dogmata sancta bibe.

Ne puerum timeas quasso erudire flagello,  
Percussus uerum sentiet ille patrem.

Immo etiam uirga stygijs percussus ab umbris,  
Erutus hic sancto surget ad astra metu.

Si sapias fili, uero dabis alta parenti  
Gaudia, si rectum te sciat esse uirum.

Viue memor Domini, ne te mors horrida cæcum  
Occupet, à prauis effuge nate uiris.

Effuge peccantes quos noueris esse, Deumq;  
Fœcundum casto ductus amore time.

Nil consciere sibi, nulla pallescere culpa,  
Dat decus, & menti gaudia uera pice.

Spes firma est, cū crimē abest, credensq; timensq;  
Tendit ad intrepidas ultima sœcla manus.

Pande oculos fili radijs uenientibus, atq;

Auribus extensis dogmata nostra cape.

Coniuas sceleris, suspectasq; effuge mensas,

Nam perit illicitas turba secuta dapes.

Terreno æternum periit mens ebria potu,

Et mersam uitij s̄omnus & umbra premunt.

At tu patris opes somno ne perde nefando,

Quem genuit uerax, ad pia sacra uocat.

Ne matrem contemne senem, Sapientia regnat,

Hanc pete, & à noto non moueare Deo.

Ecce pater iustus, iusti & sapientis amore

Exultat, partu confruiturq; suo.

Teq; pater nato, genitrix & gaudeat, oro,

Extollatq; pium semine lœta Deum.

Dat tua corda patri, uitam uerumq; docenti,

Pande oculos, nostra nec moueare uia.

Spiritus ad cœlum inuitat, caro sœua deorsum

Deprimit, incautos & necat ut pueros.

Decipit insidijs, duroq; interficit ore.

Ah miser, has fatuas qui cupit illecebras.

Vulnera & atroces casus, rixasq; necesq;

Vidimus, & nimio lumina cassa mero.

Epoti calices quid sunt, nisi funera mentis?

Nate precor falsas effuge delicias.

Ut te sòpitum minima circumferat hora,  
 Vix caro, uix Bacchus, totaq; terra fuit.  
 Ne uinum cspicias, flauo cum pulchra colore  
 Vasa micant, intus tetra uenena latent.  
 Deuicto Baccho friget Venus: ille per altas  
 Ingressus uenas, implicat ut coluber.  
 Instillat uirus, funestaq; corde uenena,  
 Et mouet ad laqueos lumina coeca suos.  
 Morbida uota citat capto insidiosa furenti,  
 Et secum miserum non finit esse animum.  
 Hoc semel imbutus, stygios non sentit odores,  
 Non secus ac medio dormiat ille mari.  
 Utq; gubernator clavo spoliatus ab unda,  
 Flebilis amissas dicit auarus opes.  
 Non dolui insipiens ad uerbera, tractus ab hoste  
 Non sensi infidas me subiisse manus.  
 Ah, quando superas remeare licebit ad auras?  
 Inueniamq; alio dulcia uasa mero?

A malis cauendum, sapientiam sectandam, lapsis in uiam redeundum, segnitiem cquitan  
 dam esse admonet, ac timorem  
 Domini commendat.

**N**E turpes socios, nocturnaque castra sequaris  
 Dedeceat armatos nostra subire viros.  
 Turpe tibi vinci uitij, diuina tenenti  
 Arma manu, à prauis effuge nate uiris.  
 Effuge fallaces, & corda intenta rapinis.  
 Quid sperent ipsam uota secuta necem?  
 Aedificare arces nouit Sapientia firmas,  
 Et uirtus domui robora uera dabit:  
 Aerumnis clypeum prudentia: cuncta uidebis,  
 Sana ubi sunt primo dogmata uera loco.  
 Virtuti arrident pulchra omnia, uicta ferendo  
 Fortuna à nullo uincitur, & sapiens.  
 Vir sapiens nihilum trepidat, nec rumpitur ullis  
 Hostibus, in cæcis noctibus astra uidet.  
 Vir sapiens Erebum sceptro quaassuit eburno,  
 Vir doctus uires suscipit æthereas.  
 Dogmata dant animos homini cœlestia firmos.  
 Roborat & genitos altus ab arce suos.  
 Ductor ut ad bellum currus disponit & arcus,  
 Consilijs multis dona salutis habes.  
 Ut stulto excelsa est Sapientia, non ualet illam  
 Tangere, nec mensis admouet ora suis.  
 Infelix, hominem qui lædere cogitat ullum,  
 Impia ab insano pectore uita uenit.

Stultus

Stultus corde nefas & crimina scena uolutat.  
 Detrahit et rectis improba turba uiris.  
 Desperet nullus, quem numina summa tuentur,  
 Si tamen in somno non iacet ille suo.  
 Erue quos possis de funere iustus acerbo,  
 Dulcia sunt Domino corda reuersa pio.  
 Ne uires expende tuas, stat fortis ab alto  
 Aethere, & optatam dat Deus unus opem.  
 Præmia uirtuti reddet Deus, atq; furori,  
 Nec fugient iustum fasq; nefasq; manum.  
 Mella placent labris, placeat sapientia cordi.  
 Pocula sunt menti dogmata casta piæ.  
 Hæc faciunt inopes uicto fortescere somno,  
 Ad ccelos animam speq; metuq; leuant.  
 Spes uiget eloquijs Domini gratissima ueti,  
 Semper & hæc alas tendit ad astra duas.  
 Ne socios morsu fraternaq; corda fatiges,  
 Sis nec apud iustos insidiosus aper.  
 Concidit, at surgit de puluere iustus eodem.  
 Impius in furias irrediturusabit.  
 Ne si forte tuum fors aspera fregerit hostem,  
 Gaudia sint oculis damna aliena tuis.  
 Non potes alterius dico gaudere dolore,  
 Si cupias animæ numina blanda tuæ.

Immo etiam si forte tuus decreuerit autor,  
     Hostibus inuisis tempora lœta dabit.  
 Percutit ad tempus, sed non quos fecerit, odit,  
     Nec duros lapsis nos probat esse uiris.  
 Ne contra prauam studeas contendere mente m,  
     Nil iuuat in rapidum uerbera ferre notum.  
 Inuidiosa tuo ne sit mens impia cordi,  
     Quamuis terrenis floreat illa bonis.  
 Aruit, & medio sitijs mens impia ponto,  
     Atq; inter lœtas palluit illa rosas.  
 Nāq; ut spōte ruēs sceptro se obstrinxit auerno,  
     Spe caret, & flammis uritur ipsa suis.  
 Aspice deiectam, & pallentem morte futura,  
     Sensit ut iratum mens furiosa Deum.  
 Adsunt criminibus sua præmia, lœta bonorum  
     Spes fugit, & gratos non sinit esse dies.  
 O fili, toties repetito nomine fili,  
     Si sapiis, ante oculos numina semper habe.  
 Si qua fides uero est, crimen pia numina dānant:  
     Et pia sint quanquam numina, iusta tamen.  
 Tu dominum regemq; time, ultoremq; malorum  
     Signatum memori pectore semper habe.  
 Nec detractori socium te adiunge bilingui:  
     Tempora qui numeret perdita, censor adeſt.

Iudicium

Iudicium rectum sapientibus imperat autor,  
 Est miserum uictas ære habuisse manus.  
 Hoc iubet Omnipotēs: ne nigrū incādida uertas,  
 Nec tribuas maculis numina sancta tuis.  
 Impia qui laudat, uero non conuenit usquam,  
 Et feret à populo digna flagella suo.  
 Cui scelus iniustum est, animo qui crimina dānat,  
 Hic feret à Domino ferta decora pio.  
 Dulcia de iusto rectus feret oscula uerbo,  
 Respondent meritis parta trophea suis.  
 Inuigila, corpusq; tuum sine crimine tracta,  
 Solibus & pluuijs rura paterna colens.  
 Sic tua firma domus, saxo fundata manenti,  
 Perpetuos fœtus hospite lœta dabit.  
 Ne male sis testis chari delator amici,  
 Ne capias labris prodita corda tuis.  
 Nunquam suscepto pro uulnere uulnera reddet,  
 Quæ didicit Dominum mens generosa pium.  
 Horrida qui spinis, & nullo culta labore  
 Arua tenet, proprio crimine pauper erit.  
 Pigritiæq; suæ penas dabit ille regenti:  
 Quam stultus, de quo tam male tempus abit?  
 Ah miser infelix, quæ te tam dira moratur  
 Segnities, nec te pignora tanta mouent?

*Arua petunt, defunq; manus poscentibus aruis:  
Apta tibi dum sunt tempora, cultor ades.  
Dū Zephyros, blandumq; polum, dū flumina cer  
Quid facis, ah uacuos cur finis ire dies? (nis,*

## PROVERBIORVM SOLOMONIS

*carmine ab Aluaro Gomes Hispano  
descriptorum*

F I N I S.

*H. E O B A N I H E S S I I N S O L O M O  
nis Ecclesiasten à se carmine uersum  
octostichon.*

*Non bene planta uirens alieno adolescit in horto,*

*Non bene fucatum lumina pascit ebur,*

*Non bene natuum uiolat cerussa colorem,*

*Turpiter inducto uina colore rubent.*

*Heu mihi si, quām sunt hæc uana simillima ueris,*

*Tam similis uano sit meus iste labor.*

*Sed quia non insunt toto hoc nisi uana libello,*

*Maluit hic uanus, quām nihil esse labor.*

Illusterrimo

# ILLVSTRIS<sup>91</sup>

SIMO PRINCIPI AC DOMINO

D.Ioanni Friderico, Sacri Rom. Imp. Electori,

Duci Saxoniæ, Marchioni Musnæ,

Comiti Provinciali Thuringiæ,

&c. Eob. Hessus

S. D.



I BRVM SOLOMO-  
nis de contēptu & uanita-  
tererum omniū, quæ in  
humana uita uersantur,  
quem uulgo Ecclesiasten uocant, Latini  
nis à me uersibus non nihil (si dijs pla-  
cet) illustratum, tuo clarissimo nomini  
optime Princeps dedicare uisum est,  
cum multas alias ob cauſas, tum po-  
tissimum duas, quod & ipſe tua pte  
natura & generosa quadam indole  
talium scriptorum, quæ ad pietatem  
faciunt,

faciunt, sis obseruantissimus, & quod  
liber hic ciuilium actionum & politi-  
cæ administrationis plurima præce-  
pta cōtineat. quæ ad te tanquam prin-  
cipem ueræ pietati ac religioni conser-  
uandæ, tum etiam ad res gerendas, &  
in gerendis natum educatumq; maxi-  
mopere pertinere arbitratus sum. cū  
& ei præfectus sis Imperio, quod citra  
maximas publicarum administratio-  
num curas ac labores geri regiq; ne-  
queat: & tuus principatus in ea inci-  
derit tempora, quæ ut lucem quidem  
Euangelij sub fœlicissimæ recordatio-  
nis ac illustrissimis fratribus Frideri-  
cho & Ioanne ducibus, &c. quorum  
hic tibi parens, ille patruus fuit, mun-  
do restituerunt, ita fuerunt iam ali-  
quot annis, hodieq; sunt omnium,  
quæ unquam fuerunt turbulentissi-  
ma. adeò ut nisi, dum ab gerendis bel-  
lis, & rerum publicarum curis uacas,  
talibus teipsum libellis consoleris, ni-  
hil fer-

hil ferme habiturus sis, quod magno-  
pere in tantis negotiorum turbis uel  
oblectare possit animum tibi, uel sta-  
bilem & quietam reddere conscienti-  
am. Quanquam uero & tu eiusmodi  
ingenia plurima, & modis omnibus  
nullo non genere eruditionis excelle-  
tia foueas, ut talium donorum beatissi-  
ma copia nunquam nō abundes: uo-  
lui tamen & ego præter etiam dictas  
iam paulo ante causas: propter priua-  
tam quandam tuam in me benignita-  
tem, uideri erga te nō ingratus fuisse,  
si huius libelli æditione, animi erga te  
mei ualde parata benevolentia ostend-  
isset: non tanquam magno et tanto  
principedigno munere, sed propensæ  
potius erga tuam Celsitudinem uo-  
luntatis qualicunq; indice et argumē-  
to. Quanquam uero non ignorem  
hunc, nunquam pro dignitate satis  
laudatum, libellum à doctissimis uiris,  
D. Martino Lutherò, Philippo Me-  
lanchthonè,

lanchhone, Ioanne Brentio, & alijs,  
satis egregie illustratum. Consilio ta-  
men usus Reuerendi in Christo Domi-  
ni Ioannis Dantisci Episcopi Culmen-  
sis, & optimi uiri Ioannis Campensis,  
qui eum librū παραφρασικῶς uerterat,  
quod et superiore anno in Psalterio fe-  
cerat, carmine Latino insigniendum:  
insignitum, & quasi noua ueste indu-  
tū, ad te illustriss. Princeps mittere sta-  
tui, in quo quia plurimum properata  
est æditio, multa insunt, quæ nec ipsi  
mihi satisfaciunt, & alios possint non  
nihil offendere legētes. Sed erit, ut bo-  
na spes est, paratior mihi apud bonos  
uenia, cum uidebunt eadem tam sæpe  
fuisse dicenda. Quoties enim illi toti-  
us libri scopi repetendi fuerunt, Van-  
tas, sub sole, stulticia, sapientia, uidi,  
apposui cor, læticia, ira, & eius gene-  
ris alia multa: in quibus tamen quan-  
tum per breuitatem temporis (quo pe-  
nè circumuentus eram) licuit, sic tem-  
perauit

perauit stylum, ut non eadem eisdem  
semper uerbis dicerem. Quod ad uer-  
sionem Campensis attinet, non sum  
ausus per omnia, quamuis doctiss. ui-  
rum sequi: sed addita etiam uersione  
Lutheri (à cuius eximia eruditione uel  
latum unguem discedere nefas duco)  
sic spero me utrumq; sequutum, ut  
neutri nec adiecerim nec detraxerim,  
quod offendere possit alterum. Et  
confido potius ab utroq; me relaturū  
gratiā, qui duorum pulcherrimo la-  
bori, tertius ipse uelut socius sic acce-  
serim, ut meorū nihil adiecerim: illo-  
rū optima scripta nouo quasi lumine  
Latini carminis illustrare, si nō potue-  
rim, certe conatus sim & uoluerim.  
Debebunt magna ex parte hunc labo-  
rem studiosi, Episcoporum facile do-  
ctissimo, D. Ioanni Dantisco, qui id  
mihi negotij, cum proxima æstate Ra-  
tisponæ in comitijs eius ipsius libera-  
ralitate agerem, iniunxit. Debebunt  
& uel

et uel in primitib; Princeps illustriss;  
cuius diuinę benignitati, & quasi tute  
lari numini consecratus in lucem pro-  
diit. In calce libelli adiecta est Elegia,  
non quia nuper nata, nouitate sua pla-  
cere tibi debeat: sed quia annis abhinc  
aliquot ad te scripta, quasi postlimi-  
nio reuersa, pristinæ te tuæ erga me be-  
nignitatis sit ad monitura. Bene Vale,  
Princeps optime; atq; illustriss. meçp  
inter eos, qui tuæ Celsitudinis gloriæ  
uere & ex animo fauent, adnumerari  
precor ut patiare. Noriber-  
gæ. VIII. Nouem-  
bris. Anno  
M. D. XXXII.

ECCLESIA<sup>97</sup>  
STES SOLOMONIS PER HE-  
lium Eobanum Hessum.

CAPVT I.



Egia qui tenuit Solimatum sce-  
tra potentum,  
Psalmographo Solomon de ge-  
nitore satus.

Cui celebrata dedit generosum Concio nomen;  
Hæc loquitur certa uerba probanda fide.  
Omnia sunt omni uanissima tempore, quorum  
Nec lex, nec ratio, nec uia certa manet.  
Nam quæ commoditas, quis fructus ab omnibus  
Quæcunq; in toto Sol uidet orbe geri? Cistis?  
Se licet immodicis mortalia pectora curis  
Vexent, ut fructum quemlibet inde ferant:  
Non tamen inueniunt, quod quæsiuere: nec ullū  
Hinc operæ precium commodioris habent.  
Omnes qui siquidem mortales carpinus auras,  
Semper ad interitum turbas parata sumus.

G Vt rerū

ECCLESIASTES

98

Cunq; manu assidue rapiamur mortis auaræ,  
Mox alij subeunt, qui loca nostra petant.  
Interea non mota suo stat pondere tellus,  
Ceu locus, hæc in quo fabula possit agi.  
Non secus ac plenum populo spectante theatru,  
Alterne celebrent quod sine fine uices.  
Sol nunc Hesperias intrat, nunc exit ab undis,  
Nunc reuehet celeres, nunc reuocabit equos.  
Atq; ita continuo, quæ conspicit omnia motu  
Mutat, & ut constans nil sinat esse, facit.  
Tollitur humentem nunc uenti flatus in Austru,  
Nunc idem Boreæ frigida regna petit.  
Nunc alias orbis partes operosus oberrat,  
Donec eò redeat, unde profectus erat.  
Flumina in Oceanum labentia cuncta feruntur,  
Nec tamen Oceanu fluctus & unda grauant.  
Nam simul intrarunt mare flumina, cuncta res  
Vnde queant cursus mox iterare suos. (mittit,  
Dum requies rebus nunquam datur ulla, nec illo  
Tempore consistat, quicquid in orbe uides.  
Nemo potest rerum certas cognoscere causas,  
Nemo potest rerum nomina uera loqui.  
Ninq; oculos fugiunt se contemplantis, et aures,  
Atq; ita prætereunt dum remanere putas.

Nostræ

Nostri etiam sensus omnes mutantur in horas,

Nec quod uere horum iudicet ullus habet.

Vertitur ipse etiam uentis agitabilis aér,

Nec species ueras, nec simulachra refert.

Quicquid ab antiquo rerum natura creauit,

Hoc etiam series temporis huius habet.

Cui similes alias producet serior ætas

Effigies, adeò res modo nulla noua est.

Nulla adeò noua sunt sub aperti lumine Solis,

Quæ tales possint non subiisse uices.

Vlla dari ne potest res, de qua dicere possis,

Hæc noua res aliquo tempore nulla fuit?

Nulla potest, nam præterito fuit illa sub ævo,

Et perijt, uelut est hæc peritura breui.

Tempora nostra nihil prorsus meminere priorū,

Vno nanq; omnes interiere modo.

Nos quoq; quæ stulte nostris miramur in annis,

Quæq; agimus, nunquam sæcla futura scient.

Ipse ego, cui tribuit sacram Concio nomen,

Qui fero sublimi regia sceptræ manu.

Tota licet solus Iudaica regna gubernem,

Et Solimas habitem possideamq; domos.

Pectore in hoc toto, tota hac ratione ferebar,

Hoc mea mens aude parturiebat opus.

Vt rerum caussas scrutarer, & omnia scirem,

Quæ fieri celsa Phœbus ab arce uidet.

Anxius ille ardor studij mortalia torquet

Pectora, ob idq; animis indidit ipse Deus.

Omnia scrutatus, quæcunq; sub æthere fiunt,

Inuenit præter nomina uana nihil.

Quæ tamen ut, cū sint uanissima, scire uolentū,

Anxia perturbant pectora mille modis?

Quod semel ad nihilū est ex omni parte redactū,

Restitui nulla conditione potest.

Talibus hic autem, quæ sunt obnoxia dannis,

Comprendi numero qua ratione queant?

Cognitacumq; mihi sapientia multa fuisse,

Adieci d'priscis multa reperta uiris.

Nā studio sunt multa meo superaddita, quæ sunt

Auxilijs rebus non habitura parum.

Vt saperem, toto ingenio studia ista sequebar,

Elogium ueri, quæ sapientis habent.

Vtq; ea conquerer magis, & perfecta tenerem,

Stulticias etiam discere cura fuit.

Sed dum conor & hoc, uideo tormenta labores,

Indignumq; animi se cruciantis opus.

Nam quicunq; uolet sapientior esse uideri

Omnibus, atq; ista nescit in arte modum,

Multa

*Multa ingrata feret, multa experietur amara,*

*Plurima cogetur non toleranda pati.*

*Qui uero studijs noua saepe prioribus addit,*  
*Ipse sibi dempto fine molestus erit.*

IN CAPVT I. ANNOTATI-  
unculæ.

Regia qui tenuit.) Titulū hūc magis ad libri,  
quām authoris nomen referendum, eruditis ui-  
detur. Interea nō mota.) Elementa certa lege  
confistunt, homines non perinde. Nemo po-  
test.) De uanitate humana intelligendum.  
Quicquid ab antiquo.) Non tam de rebus, q̄  
de affectibus & cupiditatibus intelligendum.

Tēpora nostra.) Nihil mouent exempla supe-  
riorū. Ipse ego.) Incipit enumerare uanitates,  
orsus à seipso. Vt rerum causas.) Non de diui-  
nis, sed humanis rebus intelligendum hoc, est  
enim sub sole: &c. Nam quicunq.) Multa sapi-  
entia, multa indignatio.

CAPVT II.

**N**Il nisi uana igitur spectans ludibria rerū,  
Ipse mihi cœpi talia uerba loqui:  
Oblectare iocis, risus age, non tibi deerit  
Copia, nec uitæ luxuriantis opes.

Vtere delicijs præsentibus, utere quicquid  
 Læticia mentes exhilarare potest.  
 Hæc ego dicebā, sed & hæc quoq; uana putau,  
 Et uidi stabilem non habitura locum.  
 Infelix fatuum sequitur dementia risum,  
 Vita fit immodicis omnis inepta iocis.  
 Ergo ego constitui contemnere, quicquid ubiq;  
 Dulce uoluptatum copia diues habet.  
 Abstinuisse mero, coniuia spernere, corpus  
 Amplius haud ullis exhilarare modis.  
 Atq; ita stulticiam, qua uita humana referta est,  
 Discere, quæ reliquis rebus inesse solet.  
 Si quid forte animo uel in his occurrere posset,  
 Quod sequar, & uanum non uideatur opus.  
 Ista uoluptatum mihi dum genera omnia sumo,  
 Hoc ut prætextu discere multa queam.  
 Non perit illecebris, non curis languet ab istis,  
 Non animis solitum deserit officium.  
 Singula sed iusta perpendens facta bilance,  
 Prudentis partes, & sapientis agit.  
 Ergo nec aggressus uulgaria, condere cœpi,  
 Quæis nullæ possent ædibus esse pares.  
 Plurima per nostros plantata est uinea colles,  
 Multa mihi in patrijs floruit uua iugis.

Mille

Mille uoluptatum uiridaria plena paraui,

Innumeris plenus floribus hortus erat.

Arboribus quem fructiferis conseruimus omnem,

De genere hic arbor quolibet omnis erat.

Iussi etiam extructis manare canalibus undam,

Vt uirides hortos irriget humor aquæ.

Præsidia institui, famulos famulasq; coëmi,

E quibus est uernis pluribus aucta domus.

Armenta atq; gregum possedi plura minorum.

Quam Solimas quisquam qui prior obtinuit.

Quanta mihi fuerit fului preciosa metalli,

Quanta mihi argenti copia, nemo roget.

Innumerabilibus mea regia dotibus aucta est,

Quales præcipue regia sceptra decent.

Præfectos plures statui terraq; mariq;

Queis fuerant regni credita iura mei.

Cantores etiam cantatricesq; coegi,

Esset ut in nostra Musica tota domo.

Quæsieram multa formosas arte puellas.

Nec uidit plures, nec tulit ulla domus.

Hæs siquidē nulla est feritas tam barbara, quæ nō

Sit licet ingeniti plena rigoris, amet.

Hoc ego magna modo sum nactus nomina, meq;

Clarior e ueterum sanguine nemo fuit.

Omnis his se uera ducem sapientia rebus  
 Præbuit, & constans adfuit ipse mihi.  
 Ex his quicquid erat, quod pascere posset ocellos,  
 Hoc ipsis tanquam parvula læta dedi.  
 Nullum læticiae genus, & non ulla refugi  
 Gaudia, momento nostra futura breui.  
 Quin se animus potius noster præsentib. explet  
 Delicijs, quibus est maxima cura frui.  
 Cumq; nimis multo studio quæsita uiderem  
 Plurima, quæsitis abstinuisse queam?  
 Nam nihil inueni fructus ex omnibus istis,  
 Quæne bona hinc credam commodiora dari.  
 Oble etabilibus q; pascere lumina spectris,  
 Quam renouare animi gaudia mille modis.  
 Iamq; recensebamq; & mecum cancta relegi,  
 Omnia, quæ nostræ constituere manus.  
 In quæ uisus ego tantum insumfisse laboris,  
 Ante ea quam prorsus perficerentur, eram.  
 Omnia deprendi nihili res esse, nec ulla  
 Semper in infracto parte manere gradū.  
 Quæ tamen excrucient animum, curisq; molestis  
 Sæpe suis fractum sedibus excutiant.  
 Atq; ita re nulla stabilem consistere fructum,  
 Donec in hoc fragilis corpore uita manet.

Demum

Demum respiciens ad easdem rebus, in ijsdem  
 Quām fuerim sapiens, noscere cura fuit.  
 Vidi quanta foret temulenti insania Bacchi,  
 Quanta mala ebrietas pernicioſa ferat.  
 Stulticia reliquæ res non caruere, nec ullæ  
 Erroris maculam non habuere ſui.  
 Nam quis homo eſt aliquid conari ut grandius au-  
 vt referat Regis facta stupenda Dei? (ſit,  
 Cum minimū nec poſſit in his æquare laborem,  
 Quos dedit innumeros, & dabit omnipotens.  
 Verum stulticia quantum sapientia diſtet,  
 Haec ratio eſt iſta cognita lege mihi.  
 Ut quantum tenebras diſferre à luce uiderem,  
 Tantum illa hac eſſet posteriore loco.  
 Nam sapiens in fronte oculos habet, omnia ſpe-  
 Omnia prudenti cum ratione uidet. (etans,  
 Palpitat in tenebris stultus, ceu lumine caſſus,  
 Et nihil, & nulla cum ratione uidet.  
 Sed tamen hoc certum eſt, idem manet exitus o-  
 Inter ea, & uanis omnia uana cadunt. (mnes  
 Ergo ego ſic mecum: ſi non ſim liber ab iſtis,  
 Quæ ſtultos ueluti ſomnia uana mouent,  
 Quorū conabar fieri ſapientior ēquo?  
 Cur alijs in me plus rationis erat?

Ergo iterum uidi, quām nec sapientia uanis,

Et stultis careat finibus ipsa suis.

Pluribus haud etenim sapiēs memorabitur annis,

Quām stultus: quoniam uixit uterq; breui.

Sicut enim quod præteritis effloruit annis,

Nocte graui pressum, nunc sine fine iacet:

Sic etiam quod nunc præsenti floret in ævo,

Flumine Lethæo sœcla futura prement.

Idem finis erit stulti & sapientis, & uno

Parca ferox fato coget utrunq; mori.

Curas ergo hominum tam detestabat ineptas,

Quorum esset miseris perdita uita modis.

Cum nihil aut fructus, aut floris ubiq; uiderem,

Sed magis innumeris omnia plena malis.

Omnia sidereo quæ lustrat lumine Phœbus,

Plus nimio uani quām bonitatis habent.

Et nihil hæc præstant, q; quod noctesq; diesq;

Excruciant animos, supplicioq; premunt.

Odi etiam magno quantumuis parta labore,

Atq; meum toto quiequid in orbe fuit.

Cuncta quod hæredi sunt hæc tradenda futuro,

Qui mihi successor constituendus erit.

Quis nouit sapiens stultus' ne sit ille futurus,

Qui mea, qualis erit cunq; relicta feret?

Cuncta

Cuncta feret certe tanto congesta labore,

Per uitæ spacium, tempora longa, meæ.

Hæc quoq; dū meditor, quæ posſit cauſſa uideri,

Vanior est uana uisa fuſſe mihi.

Ergo animo curas euellere protinus omnes

Conſtitui, quibus hæc anxia uita fuit.

Hoc ego cum facerem, Sapientior eſſe uidebar,

Inter quos ſolis lumina cunq; uident.

Nanq; tibi ut fuerit Sapientia cognita, palmam

Eximia rerum cognitione feras.

Inſtituas omnem ſine luxu degere uitam,

Tecum auferre tamen nil potes inde tuum.

Cuncta tamē quæcunq; tenes poſſeſſa, relinques,

Illi, cui curæ res tua nulla fuit.

Hoc quoq; cur hominem nō torqueat? hoc quoq;

Cū ſit, habet merito nomina uana, malū. (uanū

Quæ nanq;, his curis obnoxius, anxia torquens

Pectora, quæ ſua ſint, accipere inde potest?

Vita hominis misera, & multorum plena malorū.

Omnia conando tædia multa ſubit.

Infelix animus tacita nec nocte quiescit,

Hanc quoq; rem uanam dicere iure potes.

Nil homini melius, quam si obleſtetur in iſtis,

Quæ natura manu liberiore dedit.

Nempe

Nempe cibo uinoq; uolens indulgeat, & se  
 His opibus recreet, quas Deus ipse dedit.  
 His etenim, cum sint diuinæ munera dextræ,  
 Vti, tristitia non prohibente, decet.  
 Nam quis splēdidiōr me sumptibus extitit ullis?  
 Cui magis hac, inquam, dextra benigna fuit?  
 Certe homini, quem dexter amat Deus, his dabit  
 Rebus, & ut sapiens talia dona probet. (uti  
 At coaceruandi studium dimittet iniquo,  
 Ut precium lucri congerat omne sui.  
 Atq; ea, quæ demum congesserit, omnia tradet  
 Illi, cui Deus hæc usibus esse uoleat.

## In Caput. II.

Nil nisi uana.) Non contēnendæ res, sed stu-  
 dia, affectus, cōfilia, &c. Ergo nec aggressus.)  
 Regū.3. Omnibus his se uera ducē sapiētia.)  
 Politicā & practicā dicit. Demū respiciēs) Pau-  
 lo lōgior paraphrasis. Nam quis homo est.)  
 Facta Dei inimitabilia esse dicit. Ergo ego.)  
 Nos tantum hic absterret à fiducia nostrorum  
 consiliorū. Nil homini melius.) Hanc conclu-  
 sionem sāpe repetens, inuitat ad liberalē usum  
 carum rerū quæ adsunt à Deo concessæ. maxi-  
 mæ ab auaricia, & inanibus curis nos deterrēs.

Caput

## CAPVT. III.

**M**ulta igitur cū sint in rebus inania cūctis,  
 Dic age quid uano hoc uanius esse po-  
 Omnia mutantur uicibus nascentia certis: (test:  
 Nec quicquam stabile est, quod queat esse diu.  
 Qui nunc nascuntur, morientur tempore certo,  
 Quæ plantata uides, auferet hora sequens.  
 Olim planta fuit, quæ nunc succiditur arbor,  
 Quæ nunc destruimus, structa fuere prius.  
 Nunc fletu nimio deducimus anxia uitæ  
 Tempora, nunc risu soluimus immodico.  
 Nunc aliquo atterimus lugentia pectora casu,  
 Iam non lætitiae nos modus ullus habet.  
 Diruimus ueteres, & ab ijsdem sæpe ruinis  
 Venit cura nouas ædificare domos.  
 Interdum placuit cupidis amplexibus uti,  
 Oscula nonnunquam displicuisse solent.  
 Quærimus interdū, quod perdere deinde que-  
 Nunc, positas nuper dilapidamus opes. (mus.  
 Quæ mō cōsuimus, iam nunc discerpimus: et sunt  
 Garrula nunc nobis guttura, muta modo.  
 Sæpe aliquos raro affectu constanter amamus,  
 Sæpe odio insequimur, qui modo gratus erat.  
 Sæpe

Sæpe inimicitias agimus, quas ponere tandem  
Collibitum est, & pax gratior inde uenit.

Quem tandem ex rebus tam se pugnatibus inter  
Mortalis fructum sumere quæso potest?

Hæc Deus humanæ immisit ludibria menti,  
Ut meritas habeant pectora nostra crues.

Omnia quæ Dominus fecit, pulcherrima fecit,  
Et bona quæq; suo tempore, quæq; loco.

Totius ille idem fecit latera ardua mundi,  
Humanisq; oculis confacienda dedit.

Scilicet ut rerum miracula tanta uidentes,  
Grande creatoris confiterentur opus.

Quanquam tantarum caussas & condita rerum  
Nemo unquam potuit noscere, nemo potest.

Hic quoq; deprendi, nihil esse sub omnibus illis  
Quod iuuet, anxificum præter habere nihil.

Quam genio indulgere, animiq; remittere curas,  
Donec nostra calens corpora sanguis alat.

Hoc cui contigerit donis præsentibus uti,  
Placati munus credat adesse Dei.

Tale etenim certè fiet quodcumq; futurum est,  
Quale ipsum Dominus, qui facit, esse uolet.

Nec quicquam adjicet quisquā, nec tollet ab illo.  
Quod facit, ut sese nos uereamur, opus.

Nil sub

Nil sub sole nouum, quod enim fuit antē futurū

Sic fuit, atq; ipsum sœcla futura ferent.

Affidue siquidem reuocat quæcunq; fuerunt,

Seq; hinc, ceu celeri proripuere gradu.

Et uelut in toto non sit satis orbe malorum,

Ex uarijs rerum disparibusq; modis.

Vidi iusticiæ loca designata ferendæ,

In quibus impietas ipsa tyrannis erat.

Simplicis in cathedram successerat impius æqui,

Et regni extulerat sceptræ cruenta sui.

Hæc ego miratus tacito mihi murmure dixi,

Vtraq; constabit iudice caussa Deo.

Iustus enim sub eo stabit, cadet impius, illo

Iudice, qui iustum iudicat atq; facit.

Omnia nanq; breui sunt discernenda per ipsum,

Quæ uel agit, uel nunc cogitat omnis homo.

Cum nihil his aliud rebus caussæ esse uiderem,

Ista ferè mecum quæ meditabar erant.

Has Deus immittit pestes mortalibus ægris,

Talibus ut monstris corda superba domet.

Vt cum se uideant brutorum uiuere uitam,

A pecorum uita non procul esse sciant.

Nam nec habent humana aliud ludibria, q; quod

Brutorum faciat sensibus esse pares.

Et mors

**E**t mors est eadem bruti<sup>q</sup>; hominisq<sup>s</sup>, nec ulla  
Illiū est huius conditione prior.

**N**ec potis est animam potiorem dicere quisquam  
Esse hominis, quam qua uiuere bruta uides.

**N**ec præstant homines quicquā ullo nomine bru  
Quod tā sunt uani hi, q̄ nihil illa ualent. (tis,

**S**iue hominem species, seu quicquid ubiq; creatū  
Idem quo tendant et locus unus erit. (est,

**C**uncta suos repetent ortus, matremq; requirent.  
Et quæ cuncta dedit, cuncta uorabit humus.

**E**t quis scire potest, quid sit post fata futurum?  
Sit ne anima ad superas nostra abitura domos?

**A**n potius moritura ægro cum corpore, sicut  
Vtroq; intereunt omnia bruta modo.

**O**mnia quæ postquam cognoui, uana putabam  
Omnia: præclarum, consuluisse boni.

**P**ellere trifitiā, sine sollicitudine uitam  
Degere, nec partis abstinuisse manum.

**M**unere enim diuīū data sunt mortalibus ægris  
Hæc bona, ut oblectent his sua corda datis.

**C**ætera sunt aliena homini, quæ cuncta relinquet,  
Et nihil ex illis post sua fata feret.

**Q**uantumuis nimijs sint anxia pectora curis,  
Nil prodest, nihil hinc utilitatis erit.

vltima

Vltima quis dicet quid sit post fata futurum?  
Ergo et stultiæ res habet ista satis.

## In Caput. III.

Multa igitur cum sint.) De operum huma-  
norum, non rerum creatarum corruptione ac-  
cipiendum. Qui nunc nascuntur.) Probat  
exemplis, quæ dixit. Diruimus ueteres.) Lon-  
gior ~~ταξιδεύοντος~~. Hæc Deus.) Declratio præce-  
dentiū. Totius ille idē.) Confirmatio. Quām  
genio indulgere.) Præsentibus uti recte posse,  
donum Dei est. Nec quicquam.) ~~άνθρωπος~~.

Et mors est eadem.) De mortis hora, non de  
morte loquitur. nec enim hic locus ad animæ  
mortalitatem torqueri uel debet, uel potest. Et  
quis scire potest.) De hac re nihil unquam sen-  
serunt rectum, qui sub sole, hoc est in mundo  
sunt impij: sed qui supra solem, hoc est pii.

## CAP V T III.

**H**inc alio uertens animum, mortalia uidi  
Pectora diuersis exagitata malis.  
Innumeros uidi flentes, quos scilicet hostis  
Impius iniustis cladibus afficeret.  
Nec quisquam miseris aderat solatia præbens,  
Qui placidam duro tempore ferret opem.  
Ulla ego conspiciens, felices esse putabam,  
Qui nuper uisum deseruere diem.

H

Sed

Sed tamen his magis felices, nimiumq; beatos,

Quos nullo nasci tempore contigerit.

Hi siquidem nihil istorum uidere malorum,

In quibus haec omnis uita sepulta iacet.

Longo me docuit facta experientia ab usu,

In nostris sani mentibus esse nihil.

Huc studia, huc mores hominum potiora referri,

Vicino ut possit quisq; nocere suo.

Vt quas quisq; queat sibi consuluisse per artes,

Alter in alterius damna paratus eat.

Quæquid habent aliud, quam curas atq; labores,

Et miseris animo se laniante cruces?

Hos alij toto uitantes pectore mores,

In uicia his etiam deterioraruunt.

Segnia continuo ducentes ocia luxu,

Exiguo absunt tempore quicquid habent.

Donec egestosa iam paupertate coacti,

Ipsi se miseros & sua membra uorent.

Tu potius duro sapiens insiste labori,

Quodq; facis fatuus non remoretur opus.

Quod si forte manum tibi non implebit utrancq;

Copia, tu laetus quantulacunq; tene.

Præstat enim minimo gaudentem uiuere lucro,

Quam luxu miseros præcipitare dies.

Hinc

Hinc alio uertens oculos uanissima uidi,

Plurima, queis poterat uanius esse nihil.

Sunt qui cuncta hominum fugiant consortia, tan-

Ad se pertineant commoda nostra nihil. (qua)

Qui neq; coniugij, charissima pignora, fructus,

Nec sociæ quicquam conditionis habent.

Et tamen haud aliter duros obiere labores,

Quam si multa hominum milia alenda forent.

Quorum nulla sitim sedauerit unda, nec Hermi,

Nec fluui fului diues arena Tagi.

Hi nunquam ad se redeunt, ut dicere possint,

Cui miseri tantas accumulamus opes?

Quos propter genium fraudamus, et ista subimus

Quæ parit assiduus tædia multa labor.

Cui bona contrahimus tot tantaq;, nec tamen uti

Possimus, aut ullo nos recreare modo.

Horum si qua alia est, hæc est insignior omni

Stulticia, atq; aliquem non habet ista modum.

Hoc animum torquet noctesq;, diesq;, nec ullo

T tormentum requiem tempore habere finit.

Quare commodior uisa est mihi uita duorum,

Quos una æquali iungit amore fides.

Nam sociata fides ingentia commoda præstat,

Et mala quæ ferimus, plurima sœpe leuat.

Nam si de socijs alter cadat, erigit illum  
 Alter, & abiectum non sinit esse diu.  
 Et forsitan periturus erat, nisi subleuet ipsum,  
 Et ferat optatam fidus amicus opem.  
 Si duo conueniant in eodem corpora lecto,  
 Calfacit amborum mutuus ossa calor.  
 Solus, & in uacuo recubans sine compare lecto,  
 Frigida uix aliquo membra calore rigat.  
 Raro unus potuit uires uicisse duorum,  
 Et grauiora triplex robora funis habet.  
 Egregie iuuenis cordatus, & indole præstans,  
 Rege sene & stupido est nobilitate prior.  
 Qui iacuit tetro quandoq; in carcere unctus,  
 Parta suis meritis regia sceptra tulit.  
 Sæpe etiam Regum de sanguine natus, ad ima  
 Corruit, et proprias dilapidauit opes.  
 Illius ambit amicitiam sibi quisq; profecto,  
 Quem patris effecti sceptra ferenda manent.  
 Nec minus ante senem multa pietate colebant,  
 Dum iuuenis regno præficiendus erat.  
 Sicut & ante fuit multis grauis ista tyrannis,  
 Sic etiam iuuenis durior huius erit.  
 Hæc quoq; res alias inter uanissima uisa est,  
 Ambitus hic animo tædia multa mouet.

Caput

## IN CAPVT III.

Hinc alio uertens.) Qactenus quidem gene-  
ralia de uanitatibus rerū: nunc ferè incipit parti-  
cularia prosequi. Non aut loquitur, ut impius,  
de futuro iudicio: sed de his, quæ sub Sole fiūt.  
quod semper cogitandum est. Huc studia.)  
Multitudinis uana studia. Ut quas quisqz.)  
Artificum uanitas. Hos alijs toto.) Segnium  
& ociosorum uanitas. Tu potius duro.) Hunc  
locum alijs, quasi à stulto imitatiuē dictum in-  
telligunt. Sed melius, ut simpliciter & asserti-  
ue à Solomone dictus intelligatur, ut & à no-  
bis uersus est. Quorum nulla sitim.) Hoc ui-  
cium & poëtæ damnant, ficticijs suis Tantalis et  
Midis. Quare commodior.) Hanc societatem  
& Philosophi probant, vide Cice. i. Off. Ra-  
ro unus potuit.) Proverb. Ne Hercules quidē  
contra duos. Egregie iuuenis.) Ambitionis  
uanitas & fortunæ uarietas.

## CAPVT. V.

**S**Acra salutiferi subiturus limina templi,  
Ne tuus incipiat pes titubare caue.  
Et dociles adhibe dictis præsentibus aures,  
Gratior est ipsi uictima nulla Deo.

H 3 Grata

Grata Deo nō sunt pingues holocausta per aras,  
 Nec sacra quæ stulti persoluere manus.  
 Nescit enim mala quæ patret mens impia stulti,  
 Dum mala tantum ipso nomine multa facit.  
 Cumq; Deum timida uenerabere uoce precatus,  
 Hunc te audire, tibi hunc semper adesse puca.  
 Hic ne diuinis multis oneraueris aures  
 Vocibus, immodicas non amat ille preces.  
 Nam qui nulla suis precibus moderamina ponunt,  
 Aut raro, aut nunquam quod petiere ferunt.  
 Ante Deum quis enim cupiat disertus haberi,  
 Aut nimia inflato gutture uerba loqui?  
 Ipse etenim cœli solio sublimis ab alto  
 Omnia cœlesti lumine nostra uidet.  
 Utq; uidet, sic quæ gerimus Deus omnia nouit,  
 Qua ratione huic tu garrulus esse uoles?  
 Sicut enim nimia gignunt insomnia curæ,  
 Sic adimunt precibus plurima uerba fidem.  
 Si tamen orando quicquam promiseris, ipsum  
 Absq; mora studeas persoluisse uide.  
 Ne tanquam insipiens promittere multa paratus,  
 Hac ipsa offendas conditione Deum.  
 Præstat enim uouisse nihil, q; reddere nunquam:  
 Aut nihil ergo uoue, uel facienda uoue.

Ergo

Ergo caue, ne lingua loquax te crimine tanto  
 Obruat, irritent ut tua uerba Deum.  
 Neue put es ipsum res negligere angelon istas,  
 Qui te, qui reliquos, qui tua cuncta uidet.  
 Quem sibi peccati uerum mens conscia testem,  
 Non secus ac ipsum conspicit ante Deum.  
 Nam tibi promissis nimio, nimiumq; loquaci,  
 Polliciti ratio uix satis ulla suit.  
 Quod tu tam leue forte putas. et inutile factum,  
 Offendit mira conditione Deum.  
 Ergo preces non ille tuas exaudiet unquam,  
 Certus in ingratum uertere quicquid ages.  
 Sicut multa uagas ubi turbant somnia noctes,  
 Multa quoq; ex illis uana uenire solent.  
 Sic etiam in multis uerborum ambagibus error  
 Plurimus, & multis plurima uana modis.  
 Quare age tu reuerere Deum, uerumq; timorem  
 Illius in tacito pectore semper habe.  
 Pauperis oppressi cladem si uideris usquam,  
 Si sua iustitiae iura negata cadunt:  
 Ne sic obstupeas, ne sic mireris, ut ipsum  
 Talia facta Deum posse latere putas.  
 Nam malus ille suum quoq; habet qui talia curet,  
 Et super hos regnat maior utroq; manus.

Rex etenim toti terræ qui præsidet unus,  
Omnia constituet legibus ista suis.

Hic faciet deserta colit regionis, & agros,  
Vnde bonis largæ suppeditentur opes.

Summū crede mihi terreno hoc munus in orbe est  
Qui tibi non uanas fundat agellus opes.

Qui fructu queat a siduo satis esse colenti,  
Et ferat alternus munera iusta labor.

Talis ager cui contigerit. num iure beatum  
Dixeris, & certe Rex erit ille mihi.

Magnarum quem uexat opum uesana cupido,  
Nunquam erit, agrestis ut satur esse queat.

Nec fructum ex illis feret unquam diues auarus,  
Quid precor hoc etiam uanius esse potest.

Diuitiae plures ubi sunt, ibi plurima turba est,  
Omnia quæ multo parta labore uorat.

Nā quid habent aliud fructus, nisi diues ut illas  
Absumi uideat nocte dieq; miser?

Grata quies post exhaustum solet esse laborem,  
Seu modica est alicui seu bona cœna domi.

Nulla graues capiunt opulenti somnia curæ,  
Dormire hunc etenim non patiuntur opes.

Est genus hoc etiam satis exitiale malorum,  
Et quo uix aliud tristius esse queat.

Diuitiae

Diuinitæ nam sæpe uiri, qui condidit illas,

Seruatæ in proprium damna tulere caput.

Dilapsæ dominos miserè afflixere, quod hæres

Illi succedens auferat inde nihil.

Sicut enim progressa suæ sunt matris ab aluo,

Sic ortus repetent corpora nuda suos.

Et nihil horum alicui secum hinc auferre licebit,

Plurima quæ propter sæpe molesta tulerunt.

Hoc quoq; triste malū, genus hoc miserabile uitæ

Quæ ueniunt omnes, hæc repetenda uia est. Cest,

Quid prodest igitur uarijs affligere curis,

Atq; animum nulla posse quiete frui?

Aerumnosi homines cunctos uixere per annos,

Semper & ipsorum sordida uita fuit.

Rectius ergo bonis uitæ partisq; fruemur,

Quæ tanto peperit nostra labore manus.

Hæc inter miseræ non pauca incommoda uitæ,

Quæ grauibus curis pectora nostra premunt.

Præcipue cum uita breuis minuatur in horas,

Et quæ ferre potest commoda, sola ferat.

Si cui diuinitas dederit Deus, addat eidem

Vt magnifico pectora posse datis:

Hoc ingens donum esse Dei quis nesciat? atq; hoc

Munere censenda est dextra benigna Dei.

Quisquis

**Q**uisquis enim talis fuerit, non ille honorum,  
**Q**uae Deus obtulerit, non memor esse potest.  
**N**ec mala turbabunt hunc huius plurima uitæ,  
**Q**uod Deus hunc lætum peccatus habere iubet.

## In Caput V.

Nec sacra quæ stulti.) Qui propriæ dicuntur  
 stulti, & impij. Sicut enim nimiaæ.) Proverb.

Si tamē orando.) De uotis uide Luth. hic, &  
 alibi, copiosius differentē. Pauperis oppressi.)

Haec tenus de pietate, redit ad catalogum ua-  
 nitatum. Summum crede mihi.) Paraphrasti  
 ca digressio. Magnarū quem.) Iterum in hu-  
 manarum cupiditatum uanitates. Nisi diues  
 uillas.) Magnas inter opes inops. Diuitiæ nā  
 sæpe.) Norunt hanc cantilenam mercatores.

Rectius ergo bonis.) Generalis omni taliū  
 de uanitate locorū cōclusio, quā toties inculcat.

## CAPVT VI.

**C**VMq; uiderentur genera infinita malorū,  
 Hoc quoq; de multis, quod meditabar,  
 Vidi diuitijs saturos, quibus ipsa benignas erat.  
 Copia de cornu diuite fudit opes.

**Q**uorum magna domos impleuit gloria, & illis  
 Iam nihil hæc ultra, quod peteretur, erat.

**S**ed Deus his animum, quo possent talibus uti,  
 Non dedit, hi partis abstinuere manum.

Cuncte

Cunctarelinquentes hæredibus ista futuris,  
 Forsan & igneta dilapidanda manu.  
 Hæc res uana quidē, sed nulla frequentior usquā,  
 Et quæ plus hominum mentibus insideat.  
 Si quis forte domi natorum pignora centum,  
 Et simul enumeras accumularit opes.  
 Sit super, & plures uitam producat in annos,  
 Defraudet genium qualibet arte suum.  
 Inde sepultura careat neglectus honesta,  
 Qualia diuitibus multa uenire solent.  
 Hoc magis est fœlix, fracta qui matris ab aluo,  
 Aeditus est uisum mortuus ante diem.  
 Hic etenim quanquam in superas non uenerit au-  
 Nec uaga Luciferi uiderit ora Dei: (ras,  
 Liber ab æruminis tamen extitit ille, crucis quas  
 Perpetuas animi diues avarus habet.  
 Quid prodest si quis uiuat bis mille per annos,  
 Qui uolet à proprijs abstinuisse bonis?  
 Non' ne suum finem tam lōga morabitur ætas?  
 Cunctorum & finis, qui fuit huius erit?  
 Non' alios homini fructus peperere labores,  
 Quām nisi, ut ex animo uiuere possit, edat.  
 Quod quanquam facile est, animo tamen omnia  
 Expleri cuius dira cupido nequit. (desunt,  
 Num.

**N**um bona præstabunt sapienti plura labores

**Q**uām fatuo? et quis in hoc, est 'ne hic, an ille  
Sola suos inopi confert industria uictus, C prior.

Vnde aliorum hominum uiuere more queat.

**E**rgo oculos melius præsentि est pascere fructū,

**Q**uām uarijs anumum motibus esse uagum.

**M**unere concessis præsentibus utere diuum,

**O**mnia donanti mitte futura Deo.

**I**s larga quæcunque dedit tibi munera dextra:

**N**on dedit, ut parcas: ut fruerere dedit.

**Q**uærere plura animo se nō capiente, molesta est

**C**rx nimis, & finem non habet ista famēs.

**C**ur quod nondum olim fuerat, iam nomine notū

**A**nte Deum, prius & quām pareretur, erat?

**Q**uodq; idem ille, uelit nolit, post tempora multa

**E**sset in humana carne futurus homo.

**N**ec possit nisi cum Domino cōtendere frustra,

**C**ur se non aliud fecerit, aut aliud.

**Q**ui uolet ergo Deo multis contendere uerbis,

**V**anus hic est, solidæ nil rationis habens.

**Q**uæ Deus humanæ, seu sint bona, seu mala, uitæ

**I**mmittit, placido pectore ferre decet.

**N**on homo nouit enim quid inutile, quidue peten-

**D**onec in hoc tristi uiuitur exilio, C dum,

**Q**ualis

**Q**ualis enim uana est umbræ fugientis imago,  
Talis uita hominum præterit, errat, abit.  
Dicere quis poterit, quid nam sit in orbe futurū,  
Quæ bona, quodue malū quælibet hora ferat?

## In Caput. VI.

Vidi diuitijs saturos.) Aliud genus diuitum.  
Quid uolet à proprijs.) Verū hoc est, seclusa  
pietate. Cur quod nondum.) Prædestinatio.  
Qualis enim uana est.) De futuris præsentis  
uitæ loquitur.

## CAPVT. VII.

**S**VNT optāda magis puræ bona nomina famæ  
Nobilis unguenti quàm pretiosus odor.  
Et melior suprema dies in limine mortis,  
Quàm quæ natali sidere prima fuit.  
Et plus te sōcium lugentibus esse decebat,  
Quàm conuiuantes inter habere locum.  
Discis enim finem, quem sis habiturus ab illis,  
Et quæ te maneant fata futura uides.  
Tristitia est risu melior, quia tristia uultus  
Signa sui memorem reddere posse ferunt.  
Tristiciam

Tristiciam sapiens meditatur, gaudia stultus

Omni consuevit tempore uana sequi.

Rectius à sapiente uiro obiurgabere, quam si  
Blandimenta uiri desipientis ames.

Nam qualem stipulae sonitum fecere crepantes,

Quas flamma in medio crissat auara foco.

Tales sunt fatui risus. sed & hoc quoq; uanū est,  
Quod stultum sapiens admonuisse tulit.

Nam si forte malos obiurget, & increpet ultro,  
Quod nimis imponunt pondera magna bonis:

Oderunt mox uerba uiri, quem perdere tentant.  
Affliguntq; malis, insidiasq; struunt.

Ergo magis finem rerum spectare licebit,  
Quam quae principij causa fuisse queat.

Vir bonus est, animo qui sustinet omnia magno:  
Vir malus est, alios qui sine fronte notat.

Nunquam degenerem cito commouearis ad irā,  
Stultum namq; frequens arguit ira uirum.

Ne reputes tecum, cur nam meliora fuerunt  
Quam sint hi nostri, tempora prisca, dies.

Non etenim sapiens unquam tam friuola curat,  
In quibus est operæ, quod meditere nihil.

Nam certū est tam prisca suos habuisse labores,  
Quam clades habeant tempora nostra suas.

Dimitus

Diuitijs coniuncta, bona est sapientia. nam plus  
 In uitæ officijs utilitatis habet.  
 Nam bona multa homini præstat sapiëtia: multū  
 Momenti quoq; habent, si modereris, opes.  
 Verum hoc diuitijs sapientia præstat & anteit,  
 Quod sibi deuinctos uiuere sola facit.  
 Contemplare, Deus quæcunq; creavit, ab ipso  
 Recta quis instituet, facta supina Deo?  
 Qui sapiis ergo, bonis præsentibus utere latus,  
 Aduersas animo fer paciente uices.  
 Nam Deus esse uices uoluit, quibus omnia uero  
 Per tam dissimilem uoluerit orbe rotam.  
 Ut ratio nihil esse manens humana uideret,  
 Cui tuto quisquam fidere posset homo.  
 Plurima cognoui, sed & inter plurima uidi,  
 Iusticiam iusto sæpe nocere suam.  
 Hoc quoq; prospexi, quod qui uir inutilis esset,  
 Ex ipsa scelere impietate foret.  
 Ne sapias igitur nimium, nec iustior æquo  
 Esse uelis, ne quid tu quoq; triste feras.  
 Ne tamen accedas stolidis, nec ad impia flectas:  
 Nam male, qui faciunt ista, perire solent.  
 Ut tamen euites hæc tanta pericula, certa est,  
 Et qua non falli conditione queas.

Credes

Crede Deo: quicunq; Deum reuerebitur, istas

Mortiferas pestes perpetuo effugiet.

Cultorem sua sœpe iuuat sapientia plus, quam

Auxilio primi quinq; bis esse queant.

Nemo est tam sapiens, tā iustus nemo erit unquā

Quem sine peccato iuuere posse putas.

Quare ne vacuam cito delatoribus aurem

Præbueris, res hæc pernicioса tibi est.

De te ne cogare dolos audire tuorum,

Verbaq; in aure tua uix habitura fidem,

Scis et in absentes quoties sis ipse loquitur.

Verba apud adstantes non repetenda tibi.

Omni bus his tentata meum sapientia precius

Eruunt, uolui discere plura tamen.

Iam supra humanos conantem ascendere sensus,

Omnia credentem noscere deseruit.

Non capit humanæ uæcors ignavia mentis,

Nullius ingenij uis aperire potest.

Quo sit consilio Deus usus in omnibus istis,

Condita perpetua quæ stabiluit ope.

Inde operæ precium uisum est mihi discere, quic-

Certa aliqua sciri sub ratione potest. (quid

Impietas quam stultitiae comes addita, quod sit

Impietatis opus discere cura fuit,

Dum

Dum meditor, uideo Mulier quod acerbior ipsa  
Morte sit, atq; omni durior exitio.  
Quæ uenenatorum similis, sed pluribus una  
Tendens occultis retia compedibus.  
Illi⁹ incanti laqueis captantur amantes,  
Illi⁹ ignauos uincula dura ligant.  
Retia corde gerit, manibus sua uincula necit,  
Ingenio, forma, blanditijsq; nocens.  
Dilectum sibi peste Deus seruabit ab illa,  
Istos peccator concidet in laqueos.  
Ecce, ait, hoc quoq; me docuit sapientia, rebus  
Adres collatis, non nisi uera sequi.  
Iudice contuleram muliebria nomina fama,  
Collatis eadem est cauſsa peracta uiris.  
Vnus mille uirūm uix qui tolerabilis esset,  
Mille puellarum nulla reperta bona est.  
Hoc tamen inueni, quod rectum fecerit ipsum,  
Quem genitor terra de genitrice tulit.  
In præceps tamen hunc ipsum retroq; relapsum,  
Naturæ partes non tenuisse suæ.  
Sed cum posteritate suæ reperisse malorum  
Innumerabilibus fanda nefanda modis.  
Nam studia in diuersa abeunt, multasq; per artes  
Confundunt sortis munera quisq; suæ.

**T**am sapiens quis erit, res ut dijudicet istas?  
Nemo sat has caussas explicuisse potest.

In Caput VII.

Tristiciam sapiens.) Ne hi loci pugnare vide  
antur cum superioribus, distinguendum est in  
ter tristiciam externam & internam. eadem est  
duplicis lætitiae ratio. Vir bonus est.) *ανθρωπός*.  
*βράκτιος*. Qui sapiens. *γένερος φύγης*. Cultorem sua  
sæpe iuuat sap.) Commendatio sapientiæ iam  
dictæ, quæ in æquitate posita est. Video muli  
er.) Mulieres malas in tel igit'.

CAPVT VIII.

**D**octi magna uiri commendat gratia uultū,  
Et fugat atrocis nubila tristicie.  
Hoc decet, hoc opus est sapientis nomine dignū,  
Regis ut obseruet nomina iussa, fidem.  
Inde Deo si teste aliquid iurauerit unquam,  
Exhibitum sancta relligione ferat.  
Tu uecors ne perge malis infistere, tanquam  
A facie possis illius aufugere.  
Nam cui confidas alij? quæcunq; placebunt  
Ipsi, perficiet cuncta potente manu.  
Rex aliquid quocunq; loco mandarit, ibidem  
Esse potestatem qua teneare puta.

Nec

PER H. EOB. HESSVM.

Nec quisquam audeat aduersus consistere Regi,  
Quæne ea sint Regis quærere iussa sui.

Nam qui mandato patienter obedit, ab omni  
Liber erit tetri colluuiione mali.

Temporis hora quidē paulopost illa futura est,  
Corpora qua pœnæ noxia subiiciat.

Nam Deus hoc statuit tēpus, quo iudicet omnes,  
Quo sua pro meritis præmia quisq; ferat.

Nec præscire datur, quid cui contingere possit,  
Quid uentura boni, quid ferat hora mali.

Et si scire queat, quid scriri conuenit istuc?  
Nemo animum potis est continuisse suum.

Nec uires poterunt ullæ prodesse potentis,  
Proxima cum diræ tempora mortis erunt.

Nec spes est se posse ista subducere pugna,  
Quæ morti et nobis est obeunda semel.

Nec malus impietate sua seruatus abibit,  
Sed mala supplicio conueniente luet.

Talibus insistens studijs ego plurima uidi,  
Quæ mala sub magni lumine Solis erant.

Alter ut imperio nixus premat alterius res,  
Hic ut cogatur iussa superba pati.

Pulchra mali placidæ degebant ocia uitæ,  
Cladibus assiduis tempora fracta boni.

Sacrilegos uidi post impia facta sepultos,  
 Principe qui uiui prima tulere loco.  
 Horum nemo fuit memor amplius, hoc quoq; stul  
     Hæc quoq; res uani plena furoris erat. (tum,  
 Sed quia non subito poena afficiuntur iniqui,  
     Innumerí uiuunt absq; timore mali.  
 Mille aliquis peccat uicibus, centenaq; patrat  
     Crimina nec quicquam sustinet inde mali.  
 Quanquam humana tamen differt patientia pœ-  
     Fabulaq; hæc multis blanda uidetur agi. (nas,  
 Hos solos scio felices tamen esse futuros,  
     Qui metuant uera simplicitate Deum.  
 Quintumuis felix appareat impius, ipso  
     • Hoc miser est, uera quod bonitate caret.  
 Insuper ut multos uiuat longævus in annos,  
     Et numeret uitæ tempora multa suæ.  
 Tam subito tamen ipsius quoq; uita peribit,  
     Quam leuis in nullo que manet umbra loco.

## IN CAPVT VIII.

Hoc docet, hoc opus est sapientis.) His locis  
 hortatur ad obedientiam. Corpora qua pœ-  
 nae.) De temporali poena loquitur.

Caput

## CAPVT. IX.

**V**Idi iterum quo non aliud sit inanius usquā,  
 Idq; frequens hominū rebus adesse ma-  
 Debita peruersis iustos mala ferre uidemus, clum.  
 Quæ iustos decuit commoda ferre malo.  
 Tanquā iustus agat male, sīt bona facta malorū,  
 Res est stulticæ plena, molesta grauis.  
 Optima uisa igitur, quæ sit lāetissima, uita est,  
 Vita suis nunquam non fruitura bonis.  
 Qui sapies igitur, genio indulgebis: & hic est  
 Optima qui solus commoda fructus habet.  
 Hinc magis ut saperem noctesq; diesq; studebam,  
 Quām sit & hæc uarijs obruta uita malis.  
 Et didici, quia nemo potest rationibus ullis  
 Nosse creatoris facta stupenda Dei.  
 Et quanto super his cura maiore laboret,  
 Tanto plus animo deficiente premi.  
 Imò ea si sapiens studeat nouisse, laborem  
 Perdet, & hoc etiam nomine stultus erit.  
 His, animo contemplatus, constanter inhærens,  
 Diuina agnoui cuncta ea facta manu.  
 Quicquid agat sapiēs, iustus, malus, impius, ipsum  
 Cuncta potestati supposuisse suæ.

Nemo etenim nouit num sit uel dignus amari,

Aut odio quis enim talia scire potest?

Omnia ad interitum tendunt mortalia eundem,

Et lex è cunctis excipit ista nihil.

Nō magis euadet iustus, quām qui impius est vir,

Non insons sontem sorte p̄cere potest.

Non sacra placandas faciens libamina ad aras,

Contemnente Deum tutior esse potest.

Tam facere assuetus periuria multa peribit,

Quām qui sic metuit displicuisse Deo.

Omnibus è rebus, quas desuper aspicit æther,

Hæc res exemplo deteriore caret.

Cuncta quod occasum repetūt discrimine nullo,

Quod quæ pergenda est omnibus una uia est.

Nā quia proueniūt eadē omnibus omnia, sani est,

Quod genus humanum possit habere, nihil.

Sic mala quæ faciunt semper peioribus augent,

Donec ad infernas Mors uocet atra domos:

Vt canis ætherias qui nondum deserit auras,

Quām leo, plus aliquid lumine cassus habet.

Sic homo uiuus adhuc illi, qui nuper ad undas

Transferit Stygias, anteferendus erit.

Hoc etenim præstant uiuentes lumine cassis,

Quod restare sibi fata futura sciunt.

Hoe

Hoc etiam, quia uiuenti sperare relictum est,

Per mala spes animos ad meliora leuat.

Illorum nihil exticti nouere, nec ultra

De uiuis aliquid quod meditentur habent.

Sed nec amicitias ultra nouere, nec hostes,

Inuidiae&q; nihil, perfidiae&q; nihil.

Quid dubitas igitur, nunc i tua dulcia laetus

Vina bibe, & laetus uescere pane tuo.

Esse etenim debes iam dudum certior, ipsum

Quod non displiceant, quæ facis, ante Deum,

Affiduo nitat uestis tua splendida cultu,

Imbuat ornatum nardus odora caput.

Coniugij dulces chara cum coniuge fructus

Carpe, & legitimi perfer amoris onus.

Quæ tibi coniunxit se se iuuenilibus annis,

In seros maneat fac tua sola dies.

Hæc etenim proprie tua sunt, hæc illa laboris

Præmia, qui requiem non sinit esse tibi,

Quæ facienda uides, & quæ facienda putabis,

Vt recte facias strenuus esse uelis.

Horum namq; operum, quorū plenissima uita est,

(Si modo quod plenum est, plenius esse potest)

Manibus in medijs quo tam properanter anhelas,

Nec lex, nec ratio, nec locus ullus erit.

Mox didici non esse agilem, qui currere possit,  
 Quod neq; sunt fortis, qui fera bella gerunt.  
 Quodq; nec ipsa sibi parat sapientia uictum,  
 Sed neq; uir magnas ingeniosus opes.  
 Quod non artifici sua per se gratia uenit,  
 Omnia sed casu temporis ista dari.  
 Nemo suæ melius cognouit tempora mortis,  
 Quam pisces hamum, quam graue uimen aues.  
 Sicut aues usco, pisces capiuntur ab hamo,  
 Sic homo non cautus retia mortis adit.  
 Sed tamen hic quædam mihi adhuc sapientia uisa  
 Ipsaq; me certe iudice magna fuit. (est,  
 Vrbs fuit exigua murorum cincta corona,  
 De cuius pauci ciuibus intus erant.  
 Venit, & obseßam cinxit R ex fortibus armis,  
 Præcludens positis turribus omne latus.  
 Vnus erat sapiens tam parua pauper in urbe,  
 Seruator patriæ uir fuit ille suæ.  
 Consilijs siquidem repulit sapientibus hostem,  
 Quem ciues armis non potuere suis.  
 Et fuit ignotus post hic, ut & ante periculum,  
 Nulla quidem ratio pauperis esse solet.  
 Tunc ego cognoui, quoniam sapientia præstet  
 Viribus, & ualeant arma sine arte nihil.

Et con-

*Et contempta tamen sapientia pauperis huius,  
Credita tam longo tempore nulla fuit.*

In Caput. IX.

Optima uisa igitur.) Huc uelut ad scopum  
semper reddit. Nemo etenim nouit.) Hic locus  
nequaquam de incertitudine gratiae est intelli-  
gendum. Vrbs fuit exigua.) Exemplum. simi-  
lia sunt in historijs multa, ut Iudicū 9. & apud  
Liuium dec. 3. de Archimede, &c.

CAPVT X.

**V**erba uiri quem sublimem sapientia tollit,  
Quanquā sedato pectore pauca sonet.  
Plus tamen efficient, & plus rationis habebunt,  
Quām fera quæ stulti principis ora tonant.  
Instrumenta feri uincit Sapientia belli,  
Arma, globos, clypeos, spicula, pila, faces.  
Interea quicunq; aliquo delinquit in uno,  
Exiguo magnum tempore perdet opus.  
Sicut in unguentum muscæ cum forte cadentes  
Intereunt, fragrans languet & exit odor.

I 5 Sic

Sic sapienti adimunt permagnum sœpe decorum  
 Paruula stulticæ signa notata leuis.  
 Sic graue consilium sapientis sœpe malignus  
 Disperat, & fatuo pectore multa nocet.  
 Cor gerit in dextra sapiens, animumq; virilem,  
 Illius ut possit cum uolet esse potens.  
 Cor gerit in lœua fatuus, quia libera nunquam,  
 Nec compos ratio est, illius ipsa sui.  
 Semper enim comitatur iners ignavia stultum,  
 Siue abiturus eat, seu redditurus eat.  
 Et tanquam ipse alijs sapiat plus, despere omnes,  
 Et stultos numeris omnibus esse putat.  
 Si quis te aduersum consurgat fortior, & te  
 Deprimat, & uoti iam si bi compos erit,  
 Ne te commoueas, nec debes uelle priorem  
 Tam facili cauſsa deseruisse locum.  
 Et cessasse loco sœpe, & simulasse tacendo,  
 Pluribus occlusit limina certa malis.  
 Grande frequesq; malū Princeps ignarus & ex-  
 Qui loca non æquo diuidit & qua gradu. cors,  
 Quos nunc extollit, deiectos esse decebat:  
 Despicitur sapiens, præmia stultus habet.

Vidi

Vidi etenim seruos celsis residere caballis,

Ac si hic non dominis debitus esset honor.

Vidi etiam dominos pedites incedere, tanquam

Hic minime seruis debitus esset honor.

Qui foueam fodit, is metuat ne forsan in illam

Incidat: & damnum quod parat, ipse ferat.

Sepem deijciens, caueat ne mordicus ipsum

Dente uenenato uipera corripiat.

Desituent uires prægrandia saxa mouentem,

Ligna secans raro tempore sanus abit.

Obtusum nimia si sit rubigine ferrum,

Sic ut nec duro rumpere cote queas,

Restat ut auxilium præstet sapientia docti

Artificis, sine qua nil bene perficitur.

Nam res difficiles sapientia sœpe peregit,

Et faciles cauſas reddidit, antè graues.

Sibila qui mittens non ulla, momorderit anguis,

Infidiori dixeris esse parem.

Multa est è grauibus sapientis gratia uerbis,

Obruet hanc stulti perfida lingua uiri.

Stulticiam uerba ipsa sonant, quæ prima profatur

Vltima mortiferi signa furoris habent.

Multa loqui stultus solet, at sine pondere uerba,

Et quæ plus uocis, quam rationis habent.

Igno

*Ignorant homines præsentia, nulla futuri est*

*Quod ratio, hæc nunquam cognita teste caret  
Stultus affiget conatus inutilis ipsos,*

*Quod rectam nequeant prorsus inire viam.  
Viuere quod nequeant ciuiliter, & quia nusquam*

*Inueniant, ubi se posse manere putent.  
Heu patria infelix, puerum sortita tyrannum,*

*Cuius auara duces fercula mane uorant.  
Fœlicem patriam, cui dat sapientia Regem,*

*Et qui cum sit opus strenuus esse potest.  
Cuius tempestiuſa ferunt coniuia primi,*

*Vt ualeant, luxu non ut inerte fluant.  
Tigna domus domini dissoluet inertia, & intro*

*Stillabunt pluuij, si finat ipſe noti.  
Tantum ad delicias, cœnas & prandia quærunt,*

*Sola uoluptati uina parata bibunt.*

*Horum nequitiae congesta pecunia feruit,*

*Quām solam magni numinis instar habent.*

### In Caput. X.

*Qui soueam fodit.) Proverbia, in rebus hu-  
manis nihil geri posse sine periculo. Heu pa-  
tria.) Princeps puer. Tigna domus.) Simile.*

*Caput*

## CAPVT. XI.

**N**e male quid de Rege tuo cū corde uoluta,  
 Præpositos ab eo ne reprehende duces.  
 Huius enim uocis si nemo aliunde sit index,  
 Quæ cœlo uolitat non reticebit auis.  
 Mitte tuum, ne parce tuum, modo projice panem,  
 In latum fluum prætereuntis aquæ.  
 Nam rursum inuenies illum post tempore longo,  
 Magnū quæ dati sunt munera fœnus habent.  
 Ne tua sit constricta manus, da largiter omni  
 Cui sit opus prompta quisquis egebit ope.  
 Ignoras etenim mala quæ uentura trahantur,  
 Quidue hodierna ferat, crastina quidue dies.  
 Si multo fuerint nubes humore grauatæ,  
 Arida fructiferis imbribus arua leuant.  
 Arbor seu pluuum succisa inclinet in Austrum,  
 Seu Boreæ spectet frigida regna trucis.  
 In quamcunq; cadet partem prostrata recumbet,  
 Nec mutare potest amplius ipsa locum.  
 Qui uentos nimium ratione obseruat acuta,  
 In uacuo nunquam semina sparget agro.  
 Qui metuit pluuias, & nubes imbre grauatas,  
 Fructiferæ nunquam tempora messis aget.

Ventus

Ventus ut ignoras unde adsit, quoque recedat,

In grauida quo sint ossa ligata modo;

Sic operum noscet nec de tot milibus unum,

Quae magna omnipotens hic et ubique facit.

Tempestiuia tuum iace semina mane per agrum,

Nec tua sit sero uestere lenta manus.

Nempe quod ignores, an quae sata prima fuerunt,

An quae sera, boni sint habitura magis.

Quod si proueniant fructus ab utroque benigni

Tempore, iam uoti summa peracta tui est.

Omnibus est lucis gratiae suauissimus usus,

Gratum oculo Solis posse uidere iubar.

Si quis ad aetatis plures peruererit annos

Suauiter, aduersi cui nihil acciderit,

Inde recordatus quae uiderit omnia, quaequeq;

Senserit, et quae tam multa fuisse sciat:

Omnia uana fuisse, et fluxa, et inania dicet,

Omnia quod ueniens auferat hora breuis.

### In Caput XI.

Mitte tuum.) Eleemosyna. Omnibus est lucis.) αληθοπικώς.

CAPVT. XII. (aetas,

**O**bsequere ergo animo iuuenis dum uernat et  
Et flos dum nouus est indolis iste tuæ.

Indulge

*Indulge genio, sequere omnia lœta, tuosq;*

*Pasce oculos, animus quicquid amabit ama.*

*Dum tamen interea tecum meditere, sciasq;*

*Iudice facta isthæc excutienda Deo.*

*Stultitiae similem ne corrue pronus in iram,*

*Et tua quod cruciet corpora tolle malum.*

*Nanq; opera incautæ sunt omnia uana iuuentæ,*

*Et quod post illam tempus, & ante uenit.*

*Ergo creatoris memor, hunc reuerenter adora,*

*Integra adhuc æui dum uiret herba tui.*

*Ne te præueniant magnorum foeta malorum*

*Tempora, quiq; tibi tristior annus eat.*

*Dicere quæ posis tibi non placuisse, quod illis*

*Iam subeant animo tædia longa tuo.*

*Ante tibi tenebræ quam fiant omnia, & auræ*

*Nigrescant, lucem Sol neget, astra negent.*

*Quam uideas reduces pluviæ post tēpora nubes,*

*Quam fuit heu multis hæc odiosa dies.*

*Fallor, an hæc metues tunc, cum custodibus ipsis*

*Totius incipiet robur abesse, domus?*

*Quando incuruabunt prono se poplite fortes,*

*Fractæ cessabunt organa pauca molæ.*

*Quando offendentur multa caligine, qui nunc*

*Ceu per cancellos omnia clara uident.*

Ostia

Ostia cum stabunt solitarum clausa uiarum,

Exilis trepidæ uox molitricis erit.

Ad uolucrem cantus ubi consurgetur, & omnis  
Ante uirens cantus filia, fiet anus.

Altauiam metuent facientia, cana uirebit

Arbor amigdalino germine facta grauis.

Quando onerabuntur cariosæ membra locustæ,  
Non erit in mensa capparis uilla super.

Tunc homo qui sensit, fieri q; hæc omnia uidit,  
Ibit in æternæ limina certa domus.

Funiculus, quanq; hinc argenteus anteferatur,  
Aureoli fontis quam stupefiat aqua.

Hydria fontanam quam confringatur ad undam,  
Quam gemat ad puteum uersio fracta rotæ.

Quam leuis in terram redeat puluisculus, ex qua  
Ipse quoq; existens terra p; vfectus erat.

Spiritus ad superos redeat patriamq; reuusat,  
Vnde ad mortales ante profectus erat.

Omnia sunt, omni uanissima tempore, dixit  
Concio cui uerax nomina terra dedit.

Qui quia præ reliquis sapiens fuit, omnia fecit,  
Quem populum posset constituisse suum.

Omnia scrutatus, prouerbia plurima scripsit.

Scripta alijs etiam, sed meliora dedit.

Vtilia

Vtilia in primis & scitu digna reliquit,

Et dedit haud falsa plurima scripta fide.

Hoc quae scripta uides sapientum uerba libello,

Clauos & stimulos dicere iure queas.

Quae licet à multis fuerint descripta magistris,

Sunt tamen ex uno cuncta profecta uiro.

Cætera mi fili fuge, quae cognoris ab istis,

Omnia non sancta tradita uerba fide.

Nam loca sunt scriptis nunc omnia plena libellis,

Quorum nec finis, nec modus esse potest.

Et nimis exhaustit uires, corpusq; fatigat

Sermo, quem nimium copia longa facit.

Iam quis sit rerum finis, quae meta laborum,

Hoc operæ precium noscere grande fuit.

Mente Deum tota metuens, quae tradidit orbi,

Condita sub fido pectori iussa tene.

Summa hæc humano generi, sed & unica lex est

Tradita, qua sine lex altera nulla ualet.

Omnia iudicio Deus hæc definiet æquo,

Nunc quoq; quæ multa nocte sepulta iacent.

Omnia discutiet Deus omnibus arbiter æquus,

Seu bona, seu fuerint deteriore nota.

Dum tamen interea.) Sic uiue, ut mundum contemnas. Ante tibi tenebræ.) Senectutis in commoda, & descriptiones. Custodibus ipsis.) Manus. Prono se poplite.) Genua.

Fractæ molæ.) Dentes. Quando offundū tur.) Oculi. Ostia cū stabunt.) Os, guttur, uox.

Ad uolucrum cantus ubi cōsurgetur.) Senes ægre dormiunt. Alta uiam metuent.) Senes incurui more timentium incedunt.. Cana uitrebit.) Senes cani. Cariosæ mēbra locustæ.) Senes macilēti. Capparis ulla.) Voluptas, appetitus. Ibit in æternæ.) Sepulchrū. Hydria son tanam.) Cibus & potus. Puluisculus, ex qua.) Homo de puluere factus, resoluitur in puluerem. Omnia sunt, omni.) Cōcludit eodē quo cepit dicto. Clauos & stimulos.) Hoc est, sunt approbata. Cætera mi fili, fuge.) Caue à nouis doctoribus. Nam loca sunt scriptis nunc omnia plena libellis.) Scribimus indocti docti q̄ poēmata passim: hodie nimis uerum. Nunc quoq̄ quæ multa.) Hypocrisī dicit.

ECCLESIASTAE PER H. EOBANVM  
Heffum carmine descripti,

F I N I S.

*Ad*

# AD ILLV<sup>147</sup>

STRISS. PRINCIPEM IOAN.  
nem Friderichum Ducem Saxo-  
niæ, H. Eobanii Hessi Ele  
gia, scripta

ANNO M. D. XX.



Nclite Dux clarum genus alto  
à sanguine regum,  
Qui patris & patrui nobile no-  
men habes.

Patris Ioannes, patrui Friderice, potentum,  
Quos inter Diuos sœcula nostra locant.  
Hæc age pacifico iuuenis dignissime sceptro,  
Hæc age placata carmina fronte uide.  
Quæ tibi non aliquo qui fallat lumina fuso,  
Mittimus, aut leuibus ceu rapienda notis.  
Sed magis ex animo tibi quo clarissime princeps  
Nullus in hoc populo iunctior esse potest.  
Misimus ergo rudes animo dictante camenæ,  
Nec breue, nec tantum temporis huius opus.  
Nā licet hæc breuibus claudatur epistola uerbis,  
Longa tamen series posteritatis erit.

K 2 Cui

Cui tua perpetuum uirtus memoranda sub æuū,  
 Mittitur hoc quali carmine cunq; meo.  
 Ut tu ceu primis claros Heroas ab annis,  
 Indole præclara uincis & ingenio:  
 Sic tua nobilior te digno munere uirtus,  
 Et fieret famæ clarior aura tue. est,  
 Quæ tibi ab hac certe pulcherrima parte futura  
 Quæ chorus ante alios prodiga turba sumus.  
 Nec tamen in quæuis, nisi enim dignissima Musæ  
 Non celebrant, uirtus hoc dare sola potest.  
 Quæ quoniæ & quales tibi cōtigit inter ephœbos,  
 Quam stupeat posita flauus Apollo lyra.  
 Digne œui iuuenis centum per carmina linguis,  
 Non debes meritlaude carere tui.  
 Ne tua præclaris tot dotibus aucta iuuentus,  
 Virtutis possit non meminisse suæ.  
 Quæ nisi seipsam acuat stimulâte cupidine laudū.  
 Sæpe uelut languens excidit ipsa sibi.  
 Quod tibi ne timeas princeps animose futurum,  
 Plurima sunt quæ te commonuisse queunt.  
 Fulget imaginibus primum domus inclyta, quæ te  
 Regibus eduxit nobilitate parem.  
 Clara ibi maiorum cum contemplabere facta,  
 Dignus ut huic generi, cura erit, esse queas. Inde.

Inde tue gentis primis Heroas ab annis

Illustres tanta laude stupebis auos.

Totq; Duces inter clarissima nomina, summo

Summa loco Ernesti gloria stabit aui.

Innumerabilibus quo non fuit alter ab annis

Principe consilijs iustitiaq; prior.

Ad te iterum redeo sanguis clarissime, cui non

Par superis patrui gloria nota tui est.

Ingentis quem non Friderici nomen in orbem?

Quo non fama abiit? quo ne sub axe latet?

Romani imperij qui nunc Septemuir, honorem

Gaudet, & ablatum restituisse decus.

Rara illi poterint conferri exempla priorum,

Tam nihil eximiæ munere laudis eget.

Quo neq; Mecœnas studiorum uerior unquam

Reddidit ætati Musica regna suæ.

Qualibus ille opibus pulchrū deduxit ad Albim,

Claram perpetua nobilitatescholam?

Qua pietate auget? meritis quibus afficit auctā?

Cætera sunt elegis arduiora meis.

Quo tamen hunc qui te tale dedit ore canemus?

Non facit ad laudes illius ulla chelis.

Ingenium maius maiorāq; plectra meretur,

Qui potuit tantum te genuisse decus.

**E**t quamvis nulli ille Duxum uirtute secundus  
Cesserit, haec meritum nomine maius habet.

**D**iuinum in terris animum te namq; gerentem,  
Cum daret orbi, & opes diuitiasq; dedit.

**C**uius ut eximiae flos indolis omnia spondet  
Maxima, sic debet non sine teste coli.

**S**ed neq; te merita caritum luce timebis,  
Et nec in obscuro fama futura tua est.

**I**n tua certatim surgent præconia, quorum  
Musica diuinum pectora numen habent.

**M**acte animo, ueteres Duce te reuocabimus an-  
Nunc suus ingenij restituetur honor. (nos,

**M**acte iterum clarum specimen uirtutis uitæ,  
Per te Castalidum purior unda fluet.

**T**u modo sume animum te dignum principe, teq;  
Huius opus rarum temporis esse puta.

**H**oc facies si te non ad mediocria natum,  
Maxima sed partes noueris esse tuas.

**S**ollicitent alios tituli sine rebus inanes,  
Ociaq; in magnis non habitura locum.

**D**iuitijs inhient illi, & popularibus auris,  
Hos iuuet assiduis luxibus esse graues.

**T**u qui uere tuo tam flores indole læta,  
Virtutem extendes per beneficia tuam.

Sic

Sic tibi præsentis sordeſcent nomina ſamæ,  
Curaq; uenturæ maxima laudis erit.  
Ibis ab exemplis per ſplendida facta tuorum,  
Gloria Saxonicæ contigit aſtra domus.  
Te patris & patriū regnum manet, unus obibis,  
Qua uice par iſſis regibus eſſe queas.  
Quām decet, et pulchra eſt ſocia uirtute potestas  
Nemo amat immodicas, quæ timeantur, opes.  
Quare age uirtutem regnis adiunge paternis,  
Magnus ut es, magnos maximus inter eris.  
Iamq; renaſcenti fer opem pietatis honori,  
Quod facis, hæc res eſt principe digna uiro.  
Quæ pius iſtaurat fidei deſueta Lutherus  
Nomina, ſint animi pondera prima tui.  
Impuros cohibe liquidis à fontibus apros,  
Quid lacerat miſeras paſtor auarus oues?  
Nunc tamē inuolucris, quibus hæc nō ſemper age  
Non etiam teſtis egimus ante notis. (mus,  
Viue diu Princeps, animo digniſſime tali,  
Indolis & noli non memor eſſe tuæ.  
Sic tua, nec dubito, ſeros durabit in annos  
Exremo uirtus non obitura die.  
Quod tibi præſtabunt per amantes talia Muſas,  
Qui nunc Pieridum cunq; fouentur aquis.

*Quos inter numero si me dignaberis ullo,  
Inuictum numeris experiere; Vale.*

**AD ILLVSTRISS. PRIN  
CIPEM GVLIELMVM DVCEM**  
Brunosuigen, &c, apud hostes  
captiuum, Con-  
solatio.

**I**mproba quam dubijs fortuna uolatibus erret,  
Quam possit certas non habuisse uices,  
Quam plerumq; bonis atrox, q; fida malignis:  
Audijt ipsa meo carmine saepe queri.  
Te quoq; in indignos casus nisi scaua tulisset,  
Non habuit leges Dux Guilielme suas.  
Heu generose animi Regum clarissime sanguis,  
Quam tua nunc merita gloria sorte caret?  
Quam uoluit nimium tecum fortuna iocari?  
Hic illam uires non habuisse uelim.  
Nempe iaces, blandi deceptus imagine Martis:  
Sic tamen ut possis surgere, nempe iaces.  
Nec tua degeneri mens consternata pauore,  
Aut animi uirtus excidit ipsa sibi.

Nec

## ELEGIA.

153

Nec tibi defuerant animosæ in prælia uires,  
Semper ad armorum pondera fortis eras.  
Vtq; tuus Regum domitor pater omnia uicit,  
Hic quoq; uicturus si licuisset eras.  
Inuidit fortuna tuis dux inclyte cceptis,  
Quamvis & fratre est æquius usa tuo.  
Fortibus Enricus, qui te nunc uindicat armis,  
Magnanimo iuuenis cum patre dignus auis.  
Nec ponet, nisi te, quæ nunc gerit arma, recepto,  
Auguror, & res est ista futura breui.  
Victor ad hostiles ita fulminat impiger arces,  
Moenia sic duro fortia Marte quatit.  
Perge inuictæ animo iuuenis fac sentiat hostis,  
Sentiat iratum perfida turba, sibi.  
Præmia perfidiæ deser sua, quanta meretur,  
Qui tibi non proprio milite damna tulit.  
Qui te non uirtute sua, sed fraude coëgit,  
Tot pro fratre pio cladibus esse pium.  
Sentit & hoc ipsum iam Lunæburga iuuentus,  
Ipse quoq; admissum deuouet autor opus.  
Vince armis igitur, qui uincis pondere caussæ,  
Hostes ut peinas quas meruere luant.  
At tu fer placide duræ ludibria sortis,  
Altera Saxonica lux Guilielme domus.

K 5 Nec

Nec tibi turpe puta, quia sis deceptus ab illo,

*Qui quod erat non hoc debuit esse tibi.*

*Qui quia pars uestri non ultima sanguinis esset,*

*Creditit in uobis fraudibus esse locum.*

Et quia non potuit uirtute, & uiribus impar,

*Vos petere insidijs est licuisse ratus.*

Sed dabit heu nimias tali pro crimine poenas,

*Nec dubita, uates præficia turba sumus.*

Iam video undantes inimico sanguine fossas,

*Iam video ærata incenia mole quat.*

Aspicio vastos incendia lata per agros,

*Vix aliquem iustis cædibus esse modum.*

Heu imprudentia mēs hominum atq; ignara futuri,

*Quām tua supplicio est culpa luenda graui?*

Tu tibi commissæ curares commoda plebis,

*O sacer, ò populo præful inique tuo.*

Martia bella duces, nō tonsa corona ministrent:

*Pontifices nunquam martia bella decent.*

Sacra bonus tractet uerbi mysteria pastor,

*Bella gerant Reges, quos decet iste labor.*

Tu tamen oblitus uicis illorumq; tuæq;

*Pro libris clypeos, pro cruce tela geris.*

Sed mihi nec tecum ratio est suscepta querelæ:

*Quām bene pro patria feceris, ipse uides.*

Horrida

Horrida circumstant etenim te bella, nec usquam  
Qui tibi nunc armis auxilientur habes.  
Hoc erat infidis Gallis patria arma pacisci,  
Hoc tibi prima mali causa Sicamber erat.  
Nuc ad te inclyte dux redeo Guielme, querorq;  
Tradita uirtuti præmia in qua tuæ.  
Vtq; feras animo non hortatoris egente,  
Des patris Enrici manibus ista precor.  
Per patris inferias belli uirtute potentis,  
Dum licuit sœcli laus fuit ille sui.  
Per genus à proæuis longa quod origine ducis  
Cæsaribus, quibus est inclita uestra domus,  
Quæ te magnorum de gente creauit Othonum,  
Quos Romæ dominos uos genuisse liquet.  
Edite magnorum Regum de sanguine, debes  
Virtutis nunquam non memuisse tuæ.  
Et patris & fratri te, & auorum uiuida uirtus.  
Excitet, ut possis fortiter ista pati.  
Nam neq; te primum dubio fortuna sefellit,  
Sæpe alijs uultu deteriore fuit.  
Vt ueteres taceam, nuper tibi perfida Brugi,  
Maximus in uinculis Aemilianus erat.  
Huic quoties captiuus erat, quæ Geldria pugnax,  
Sæpe iniusta suum misit in arma Ducem.

Aspicio

**A**spicis extorrem patria procul arce Sueum,

Non aliquam reditus posse parare uiam.

**Q**uis uetet & profugū Danoru his addere regē?

Quām misere regnis excidit ille suis?

**Q**uo nunc ille abiit, quem Burgum nobile Lunæ,

Tam tibi non fidum nollet habere Duce.

**H**unc quoq; uix propria mansurū in sede putarē,

Qui tibi fortunæ conditor huius erat.

**Q**uare age sume animos invicto principe dignos,

Et quia sic opus est, fata fer ista libens.

**N**ō erit æternum quod nunc dolet, ultima primis,

Expectanda tibi, sed meliora, puta.

**Q**uæ nunc tu pateris, passi per sepe fuerunt

Innumeri reges, innumeriq; Duces.

**N**eue quod immerito pateris cruciere, per istas

Ceu nebulas, uirtus surgere uera solet.

**A**dde quod hæc cautos ad honesta pericula red-

Clade sua doctus qui sapit, ille sapit. (dunt:

**A**dde fidem famæ de te non falsa loquitæ,

Et nunc ista uiri nomina fortis habe,

Et quia te Musis doctisq; fatentur amicum,

Carmina quæ lusi cosule pauca boni.

**I**uſſit nanq; fides tibi debita pectoris huius

Fortunæ casum condoluisse tuae.

Tempus

ELEGIA.

157

Tempus erit, quo tu deuictis hostibus ultor,  
Extendes patriæ florida regna tuæ.  
Tunc meliora fluent nostræ tibi carmina Musæ,  
Tunc tua, tunc fratris martia facta canam.  
Tu modo uersiculis ne spernas uilibus ausum,  
Ut legerent, oculos sollicitasse tuos.  
Sis fœlix fortisq; diu uiue optime princeps,  
Omnia & ut possis uincere dura: Vale,

ELEGIAE H. EOBANI

HESSI AD DVCEM BRV-  
nosuigensem

FINIS.

*Psalmorum*

PSALMORVM ALI  
QVOT PARAPRASIS, DIVER-  
sis autoribus.

AD PSALMORVM LECTI<sup>E</sup>NEM PHI  
lippi Melanchthonis exhortatio.

Si qua Dei tangit puram reuerentia mentem,  
Et iusto Christi nomine honore colis:  
Si quo res è fonte fluunt, quod omnia numen  
Et regit et seruat, cernere mente soles:  
Hæc puer illius ueneranda oracula disce,  
Iesse & quondam quæ sonuere fides.  
Illi<sup>s</sup>us et Mo<sup>s</sup>i per saxa gloria uiissa est,  
Panditur hoc etiam carmine, crede puer.

PSALMI.

# PSALMI

159

PRIMI, BEATVS VIR, QVI  
nō abiit; & Secundi, Quare fremuerūt  
gentes, &c. Paraphrasis, per VINCEN-  
TIVM Obsopœum, ad Clariss. D. Ge-  
orgium Voglerum Marchio-  
nis Brandenburgen, Can-  
cellarium.



Rbis Onoli pachiae decus im-  
mortale Georgi,  
Quin etiam nostræ gloria sum-  
ma scholæ:

Cernimus ut tendant studia in contraria cuncti,  
Paucos concordi uiuere more uides.  
Hic populifasces ambit, sellamq; curulem,  
Prætextam, & trabeam, purpureamq; togā.  
Vt gemmata bibat generosi pocula Bacchi,  
Et plane fœlix atq; beatus agat.  
Hic cupit esse potens, & sceptra tenere laborat:  
Mox aliis magno proximus esse Duci.  
Vt sit uisendus misera torquatus in aula,  
Et stet consultus Principis ante pedes

Ans

**A**ut stolido sumos de Principe uendat inanes:  
Nunquam Thurinis talibus aula caret.  
**M**ilitia est qui quærit opes, & nobile nomen,  
Martia qui tantum castra beata putat.  
**S**ollicitat longis alius freta concita remis:  
Ut crescant census diuitiæq; domi.  
**I**nvigilans chartis, citius quam tempora poscunt  
Pallorem & canos comparat ipse sibi.  
**D**elitias colit ille suas, colit ille tribunal:  
Et colit insani iurgia crebra fori.  
**E**st qui semotus strepitu, turbaq; forensi  
Eligit exiguae sordida tecta casæ.  
**P**ublica postponens tranquillæ munera paci:  
Nouit enim dubiam uulgus habere fidem.  
**P**lures obuentrem & uentri uicina, cucullum  
Infamem monachi ceu iuga dura gerunt,  
**D**eniq; quisq; suum studium sectatur, & artes,  
Et uitam sequitur deniq; quisq; suam.  
**Q**uæritur haud aliud q; uiuere posse beate,  
Omnibus est unus uita beata labor.  
**P**rospera contingat rebus fortuna beatis:  
Omnia sint uitæ fata secunda student:  
**H**inc tot consilia, hinc tot cernimus esse labores,  
Hinc tot quærendi profiliuisse uias.

Hinc

Hinc sunt tot curæ, hinc ueniunt tot pectoris æ-  
Sæua quoq; lonij non uehit unda maris. Cstus  
Et si cunctorum studia in contraria tendant,  
Attamen est uotis omnibus una uia.

Vt sint fœlices, & conditione beati:  
Omnibus hic unus quæritur iste scopus.

Propositum egregiū, eximia est sententia mentis,  
Quærere, qui possis prosperitate frui.

Viuere qui possis ex omni parte beatæ.

Hoc equidem paucis nouimus esse datum.

Nam bona pars hominum delectu fallitur, atq;  
Iudicio: quamuis sedula multa paret.

Quin etiam multos tenet ignorantia rerum,  
Ignaros à quo fonte beata fluant.

Cum non, quem uulgas male iudicat esse beatū,  
Sit uerum potius terq; quaterq; miser.

Dicitur hic merito fœlix, & iure beatus,

Psalmus I.

Quem miserum populus iudicat esse uirum.  
Impia consilij qui non iuuat acta maligni,

Nec probat assensu, quod mala turba probat.  
Et qui non sectatur iter, nec durat in illo

Quod peccatorum perdita secta terit.

Nec iunxit sedem cum derisoribus unquam

Qui ridere solent omnia uerba Dei.

L Sed

Sed magis illius diuina in lege uoluntas,

Quām solam quærerit, flagitat atq; cupit.

Hac sese oblectat, iugi hanc meditatur amore,

Hanc unam loquitur nocte dieq; canens.

Non aliud secum studiosa mente uoluntat,

Cogitat hanc toto pectore totus homo.

Hinc erit ut patulis arbor pulcherrima ramis,

Quæ sata propter aquæ pura fluenta uiret.

Quæ frēcunda suo producet tempore fructus,

Seruabitq; suas fronde uirente comas.

Talis quicquid agit, quicquid molitur & urget,

Cœpta secunda cadunt, uota secunda cadunt.

Sed non talis erit prauissima turba malorum,

Qui uana superos impietate negant.

Sed tanquam paleæ uolitant cum turbine uenti

Disiectæ miris sicca per arua modis.

Quare in iudicio stabit gens impia nunquam:

Sed neq; iudicij munia sancta feret.

Nec peccatores iustorum plebe fruentur:

Indigna est tali secta sodalitio.

Quippe uiam Dominus iustorum nouit: & illa,

Quam praua uadunt, interitura uia est.

Hæc ita cū credā, sicut quoq; credere dignū est,

Nam cecinit uates hæc sacra uerba sacer:

Quid

Quid consernati durissima fata timemus?

Quid gladios, siccas, spicula, tela, faces?

Quid clades, cædes, incendia, prælia, pugnas?

Quid tot crudeles impia uerba minas?

Nos quibus infandi cupiunt terrere Papistæ,

Atq; omnem è toto pellere corde Deum,

An non audisti ut paleas peritura malorum

Agmina? mansuros tempus in omne pios?

Diripient cælo Christum, superabimur unâ:

Scilicet hæc Christum uincere turba parat?

Atqui trux illi mors non dominabitur ultra:

Deucto mundo parta trophæa tulit.

Sed spero certe Titania bella mouebunt,

Quæ sunt fulminea discutienda plaga.

Si Deus à nobis dux bellum prælia miscet,

Quæ uis, quod damnum posset obesse pios?

Quamvis nos nullo dignemur honore piorum,

Quippe malæ uitæ conscia turba sumus.

At bonitate patris, tum Christi munere freti,

Spero nos prauos sic tamen esse pios.

Qui Christi uerbum, Christi tueamur honorem,

Non gladio, uerum quæq; ferente cruce.

Hic nos defendet, nos propugnare studebit,

Si modo præsidij spes rata semper erit.

Fallere sperantes nescit, nutantia tentat

Pectora: credentes largiter auget ope.

*Psalmus 2.*

Cur ergo gentes frendent, et inania miscent

Murmura? quid linguis irrita uerba tonant?

Consilium uanum populi meditantur inertes,

Terrores duplicant, ingeminantq; metus.

Et reges terræ iurati insurgere tentant.

Quis nescit magnos fœdus iniisse Duces?

Et sua funesti iam robora cogere belli,

Oppugnaturos regna superna truces?

Oppugnaturos Christum, Dominumq; potente,

Cœlicolum regem, terrigenumq; patrem.

Non minus atroces uultu, qudm uoce feroces,

Vincula rumpamus non toleranda citi.

Illorum abiectos lacerantes rumpite funes,

Sunt onera indigni projicienda iugi.

Scilicet hi quiddam nos de pietate docerent?

Hæc nos officij turba monere uelit?

Illi sacrilegi nos emendare laborant?

Illi nos audent corripuisse duces?

Omnia doctrinæ confellere dogmata priscæ?

Quæ iam sunt usu certa, recepta, rata?

Quos penes est nullum ius aut censura docendi?

Sic traherent pigros stridula plaufra boues.

Hæc

Hæc Deus in cœlis residens atrocia dicta

Ridet, quo uultu cuncta serena facit.

Et subsannat eos, iram miseratus inanem,

Ignaros fati consilijsq; Dei.

Iratusq; semel cum regibus ipse loquetur,

Atq; furorifero dira dolore dabit.

Omnibus irarum effusis turbabit habenis,

Supplicio adfectos sufficiente malos.

Porrò meum regem sceptro & diademate clarū,

Ecce super montem constitui ipse Sion.

Et narrabo nouo docturus dogmata more,

Omnipotens Dominus quæ mea dicta dedit,

Tu meus es natus, tu me genitore creatus,

Hac ego te genui luce dieq; parens.

Ergo age nate Deo charissima concipe uota,

Et pete:nanq; tibi munera magna dabo.

Quippe dabo g̃etes harum pulcherrimus hæres,

Extra te solum nullus habendus erit.

His etiam extremos terrarum iungere fines

Est animus nato propria dona tibi.

Has tu ferrato fili compescere sceptro

Curato, indomitos ferrea uirga decet.

Sicut fictilia è limo formata parato,

Confringes gentes, comminuesq; duces.

Nunc ergo reges patienter fertie doceri:

Semper inest monitis certa medela boni.

Et qui iudicio causas cognoscitis orbis,

Temnere correpti uerba cauete precor.

Cœlorum Domino pauidi seruite, colentes

Multum terribilis numina magna Dei.

Viuite solliciti, & lœti gaudete trementes,

Oscula tum genito figite plura meo.

Ne quādo ille grauem sœuus prorumpat in iram,

Et uos uestra feros perdat iniqua uia.

Quippe sua ira breui subitis ardescere flammis

Incipiet: læsus sœuet inde furor.

Tunc ego felices dic am, nimiumq; beatos,

Qui statuunt soli fidere corde Deo.

Illi⁹ auxilio freti, uenerande Georgi,

Quem dubitaremus mortis adire gradum?

Et morte & uita superamus principe Christo

Nostra est sub Christi palma sepulta cruce.

Sunt omnes etiam Christi possessio gentes,

Christi sunt omnes propria dona duces.

Nil poterunt nobis hominum commenta nocere:

Ipse manu Dominus regia corda tenet.

Hæc flebit quocunq; placet, quocunq; uidetur

Omnia magnorum dirigit acta ducum.

His.

*His ergo freti, pellamus corde timorem:  
Nam Christus mortem uicit, & astratenet.*

## Psalms II.

*Quare fremuerunt gentes, &c.  
per D. Maurum  
Musaeum.*

**V**T feræ gentes, populiq; frendunt,  
Vana tum ciues meditantur orbis,  
Irritas nugas animo uoluntant,  
Consiliumq;.  
Iudices terræ, domini, monarchæ,  
Et simul reges coeunt maligni,  
Ut deum perdant, perimantq; Christum  
Illiū omnes.  
Inquiunt una, resonantq; uoce,  
Quisq; disrumpat laqueos eorum,  
Vinculis nunquam teneamur istis,  
Atq; statutis.  
Ille qui cœlos habitat nitentes,  
Ludit istorum furias inanes,  
Ridet & uires solito cachinno,  
Stultaq; gesta.

Feruidus bili, tumido furore,  
 Percitus, tandem grauiter loquetur,  
 Verba turbato metuendus ore  
 Talia fundens.

En age regem hunc oleo rigaui,  
 Ut Syon monti dominetur, in quo  
 Me sui uitæ specimen parentis  
 Aedere certum est.

Hunc uias rectas Domini docebo,  
 Sic enim tecum reproto libenter,  
 Hoc die te progenui, meusq;  
 Filius es tu.

Si petas gentes, populos, et urbes,  
 Hos tibi laetus dabo postulanti.  
 Vsq; ad extremos tua namq; fines  
 Ditio durat.

Vitrei hos instar, Samijq; uasis,  
 Regio franges baculo repente,  
 Si tuo nolint oneri iugoq;  
 Subdere colla.

Principe orbis, domini, tyranni,  
 Tedeat uitæ proceres prioris,  
 Nec mei Christi suavis statutum  
 Spernite reges.

Et minis omnes positis libenter  
 Illius iussis studeatis æquis,  
 Gratias lætis animis agentes  
 Pro duce tanto.  
 Filiū uero dominum probate,  
 Osculo hunc regem fateamur unum,  
 Ne repentina metuendus ira  
 Obruat hostis.

Nam tumescente ira, animo scietis,  
 Sero uos, quantum fuerint beati  
 Qui meo Christo Dominoq; soli  
 Fidere norunt.

## Psalmus VI.

Domine ne in furore tuo arguas  
 me, &c. per eundem  
 D. M. M.

**O** Deus noster clypeus, salutis  
 Petra, te quæso famulum gementem  
 Arguas nunquam, tumidaq; bili  
 Corripias me.

L 5 Tolle tu

Tolle tu mentis potius dolores,  
 Et mei tandem miserere luctus,  
 Namq; despero, grauis atq; morbus  
 Occupat ossa.

Indies plorans animus labascit,  
 Roboris quando nihil in se cernit.  
 Ergo tu nostros, miserosq; clemens,  
 Respice fletus.

Nomen assuetum referas precamur,  
 Liberans ægros morientis artus,  
 Et tua optatam bonitate confer  
 Alme salutem.

Hospites inter stygiæ paludis,  
 Qui tui posse meminisse nemo est,  
 Aut tuo dignas celebrare tentet  
 Nomine laudes.

Perluo cunctis madidum cubile  
 Noctibus, fundens gemitus canoros,  
 Nec pijs incestum lachrymis rigare  
 Desino lectum.

Deficit lumen nimio dolore,  
 Palpitat dum cor timidum pauore,  
 Inter hostiles trepidans cateruas,  
 Inueterasco.

Nunc

Nunc recedetis procul ô maligni,  
Nam Deus nostri gemitus misertus,  
Et genas solo lachrymis madentes  
Lumine terfit.

Audiet tandem preculas sonantes,  
Et chelis nostræ citharæq; planctus,  
Audijt fusas Dominus profundo  
Pectore uoces.

Qui malo nobis studio precantur  
Dira, discedant fugiantq; tristes,  
Et stupefacti solito pudore  
Afficiantur.

## Psalmus XI.

Domino fido, quomō dicetis animæ  
meæ, &c. per eundem.

PRAEfidiū in Domino posui, spes ille salutis,  
Ille mihi & mortis dulce leuamen erit.

Quæ rabies, aut quis uestros furor occupat artus,  
Audetis uel qua dicere fronte mihi?

De monte in montem fugias per opaca uiarum,  
Desertos scopulos, inuia saxa pete.

Instar avis, que incerta sui discurrerit ubiqs,  
Quæ tandem tuto nidificare queat.

Quam

Quā cupid instructis inuoluere retibus auceps,  
 Assuetum mutat sæpius illa locum.  
 Aut pete sylvestres frondoso tramite colles,  
 Et tegat absconsūm clausa spelunca caput.  
 Curre per ignotas gētes, Garamanthas et Indos,  
 Infidos populos, Sauromatasq; truces:  
 Nam feritas hæc uestra docet, docet ista nefanda  
 Proditio, en latebras querere cogor inops.  
 Ecce mali intendunt arcus, celeresq; sagittas,  
 Disponit nemo tela parata neci.  
 Ut tandem in latebris iustos & rupe iacentes  
 Confodiant, qui te iustitiamq; colunt,  
 Fundamenta ruunt, ut non subsistere possint,  
 Et reliquum uitæ nil superesse queror.  
 Nec miseret quod sæpe uagus in montibus erro,  
 Non ut respirent membra quieta finit  
 Hæc tantum, infælix patrijs e sedibus exul  
 (Immane) aut uestris urbibus ejcior.  
 Sed me per saltus & per deserta latenter  
 Perpetuo miserum sœua pericla manent.  
 Sed quid commeruit iustus, quid deniq; fecit,  
 Postulo, quod nostro crimen in ore fuit?  
 At cœlos habitans Dominus, cui regia in alto est,  
 Conspicit hæc puris omnia luminibus,

Nec

Nec non humani scrutatur pectoris artes,  
Quicquid designat progenies Adami.  
Est nihil occultum, quod non cognoscere possit:  
Falleris (ò demens) si qua latere putas.  
Ille etenim iustum considerat, atq; probatum  
Assueta tandem pro bonitate fouet.  
At sunt heu quantis agitati fluctibus illi,  
In dominum ut toto pectore crescat amor.  
Quinetiam insontes summa speculatur ab arce  
Siderea, æterno prosequiturq; odio  
Qui toto studio uobis uim inferre laborant  
Perpetuo & quorum plena crux manus.  
Hos subitæ mortes, hos immatura senectus,  
Et propero gressu fulmina missa manent.  
Namq; pluet laqueos, carbones, atq; procellas,  
Ignitos lapides, sulphureosq; globos.  
Non erit insumpti merces indigna laboris,  
Haec illos calicis portio plena manet.  
Nam iustus Dominus cultores diligit, & qui  
Iustitiam pari cum pietate colunt.  
Nec non pacato uultu, tum fronte serena  
Aspicies, iusti qui studiosus erit.

Psalms

Fer opem Domine, quoniam defecit  
sanctimonia, &c. per eundem.

**T**Emihi seruatore opus est, nā nūl is habetur  
Iam ueræ in terris religionis honos,  
Cum pietate fides, æqui studiumq; recessit,  
Inter mortales desit esse bonus.  
Aut si qui sunt, clam latitant, perq; inuia currunt,  
Et celeri citius flamine diffugiunt.  
Irrita fallaci mendacia gutture præfert  
Quisq; suum fratrem trudit in insidias.  
Nā quod corda sonant hoc mox mutare laborat  
Lingua, pios fratres fallere docta satis,  
Excindes igitur artes, & labra dolosa,  
Falsas blanditiias, uaniloquosq; sonos.  
Quos licet elatos rideas, nil blandius extat,  
Et quibus in dulci melle uenena latent.  
Divitijs si quidem, fuco, fastuq; tumentes,  
Talia fulminea carmina uoce sonant.  
Os nostrum penes nos est, & cuncta licere  
Quis dubitet nobis, quomodo cunq; libet?  
Nullum suspicimus, nos non pendemus ab ullo,  
Et tandem nobis quis dominator erit?

Illi etenim

Illi etenim credunt nulla se lege teneri,  
Nullus amor superum relligione mouet.  
Ob gemitus, madidasq; genas, durosq; labores,  
Propter & oppressi uulnera dura mei:  
Exurgam dixit Dominus, moderator Olympi,  
Et requies misero parta doloris erit.  
Hic tandem optata, dulciq; quiete fruetur,  
Ipse dabo uires, subsidiumq; feram.  
Ut spem concipiatur solidam: fateatur & idem,  
Me charos nunquam deseruisse meos.  
Nam Domini præcepta manent purissima, sortes,  
Promissa, & leges, eloquiumq; Dei.  
Ac ueluti argenti, uel fului pondera nummi,  
Per septem flammis purificata uices.  
A quibus extractum, quicquid iā labis habebat,  
Et quicquid terræ sordidioris erat.  
Tu seruabis eos igitur, perq; omnia tutos.  
Efficies, nostri dux & alumnus eris.  
Vt non corrumpant scelerata potentia, nosq;  
Lædat & imbellis insidiosa cohors.  
Namq; horrenda phalanx inuerso iure triumphat,  
Et summum in terris obtinet imperium.  
Quumq; malos reges summa ad fastigia tollunt,  
Et statuunt regni consiliq; duces.

Impietate,

Impietate, dolis sunt omnia plena, nec ullus  
 Virtuti eximiae cernitur esse locus.  
 Funditur ergo latum uitiorum lerna per orbem,  
 Nullaque non tepido ferra crux madent.

## Psalmus XIII.

Quousque obliuisceris mei Domine,  
 etc. per eundem.

**A**n' ne in perpetuum nostri obliuisceris, atque?  
 Pressa iacere solo membra, quousque sines?  
 Perpetuo faciem abscondes, uultusque serenos,  
 Rugaque in nata fronte senilis erit?  
 Quousque uolutabo dubios in corde furores,  
 Et premet insanus uiscera nostra labor?  
 Quid sit opus factu, mecum studiose requiro,  
 Me tenet ergo uarijs anxia cura modis.  
 His quando finis studijs, ergo rebus agendis,  
 Et quando tanti meta laboris erit?  
 At quousque super uictor me extollitur hostis,  
 Substractasque mihi proferet insidias:  
 Auxiliare, precor: nec non circumspice quantis  
 Ignibus inuoluer, discretierque malis.  
 Quaque uia superare queam discrimina uitae,  
 Instructas acies insidiasque doce.

Et ne

**E**t ne defessos mortis sopor occupet artus,  
Illustres oculos ô pater alme meos.

**N**e fortasse ferox, quod me superauerit hostis  
Dicat, & insultent inuidiosa cohors.

**G**rataq; lætentur celebrantes gaudia, quod sim  
Sanguineæ dura morte sepultus humi.

**I**llorum excidium nec in hoc ego postulo, summo  
Esse quod expectem res in honore meas.

**S**ed quod te spernunt hæc perfida turba, tuosq;  
Ad se neglecta relligione trahat.

**I**n bonitate tua spero, soloq; fauore  
Exilient plena pectora letitia.

**H**oc fiet, cum tu currus spoliabis & hostes,  
Dum dabis istorum terga uidere mihi.

**P**ro quibus officijs, & tanto munere, agetur  
Autophyi summo gratia magna tibi.

**P**erpetuoq; tuas celebrabo tempore laudes,  
Inuisam accensis templa sacrata focis.

### Psalmus XX.

Exaudi at te Dominus in die tri-  
bul, etc. per Vinc, Obso-  
pœumi.

**Q**ui tibi sollicitas rerum mādauit habēnas,  
Qui dedit imperij sceptra regēda, Deus:  
M Andia;

Audiat ille tuæ deuota precamina uocis;  
Fortunæ quoties te mala fata premunt.  
Protegat ille suo semper te nomine tutum,  
Insidias caueat, discutiatq; dolos.  
Auxiliumq; tibi magno demittat olymbo,  
Deq; Sion regem fortificare uelit.  
Et quæ thuricremis adolesci prouidus aris,  
Sacrorum semper sūt memor ille tuū.  
Pingua sint etiam donorum holocausta tuorum,  
Ut tua sit summo uictima grata Deo.  
Det tibi si qua tuo rex uoluis pectore uota.  
Det tibi si qua tua munere mente cupis.  
Et quæ de creris animo facienda parato,  
Omnia consilijs prouehat acta suis.  
Nos, tua iactamus plausu socia arma canoro,  
Unica tu nostri es gloria præsidij.  
Inq; tuo erigimus uictoria nomine signa,  
Auspicio soliti bella mouere tuo.  
Audiat omnipotens quæcunq; rogabis, & eius  
Despiciat preculas, nulla repulsa tuas.  
Nunc ego non dubie didici cognoscere regem  
Quod Deus auxilio præsidioq; leuet.  
Deq; throno sancto clemens exaudit eundem,  
Propicie fusas accipiendo preces.

Cœlestis

## PSALMVS XX.

179

Cœlestis domini auxiliatur dextra potenter,  
 Inuictum auxilium quem reuelabit habet.  
 Ingentes animos inflato pectore tollit,  
 Turba inimica suæ robore freta manus.  
 Impia fudit equis, fudit male cauta quadrigis,  
 Et multis fudit mox ruitura uiris.

Nos erimus memores diuini nominis, illud

Contra hostes nobis ferrea turris erit.  
 Illi sanguinea postrati clade ruerunt,  
 Nos contra firmo stabimus usq; pede.  
 Fer domine auxilium, rex audiat aure benigna  
 Clamantes, placida nos quoq; mente iuuet.

Psalmus XXI.      Vel secundum He-  
 bræos XXII.

Deus meus cur me dereliquisti,  
 &c. per D.M.M.

**M**e suspirantē querula quid uoce relinquis,  
 Postulo qui supplex robur et auxiliū?  
 Atq; licet tecum crebris clamoribus instem,  
 Prò do'or, optata membra salute carent.  
 Non taceo, cunctis adiens tua tempa diebus,  
 Quintiam obscuris noctibus ipse gemo.

M 2 At non

## 280. PSALMVS XXI.

At non exaudis fletus, lachrymasq; precantis,  
 Et spernis citharæ carmina mœsta meæ.  
 Et tu qui mundos habitas sanctissime coelos,  
 Israël robur, gloria, laus, & honor.  
 Horum quæ patior tutus dormire uideris,  
 Ac si nulla mei nunc tibi cura foret.  
 Spes patrum semper nostrorum sola fuisti,  
 Nec potuere illis ulla nocere mala.  
 Ad te clamabant quoties, & uota ferebant,  
 Protinus auxilium ferre paratus eras.  
 Ast ego sum uermis non, uir abiectio plebis,  
 Fabula tum uulgi, simus, & opprobrium.  
 Me quicunq; uident, cōtemnunt, labra retorquēt,  
 Et capite ij moto talia uoce fremunt:  
 Suspexit dominum, is redimat, soueatq; gementē,  
 Et saluum faciat (si sibi charus) eum.  
 Molle tuo studio materna corpus ab aluo,  
 Prodiit, inde mihi spes ueneranda manes.  
 Tu non discedas, quando me angustia terret:  
 Qui, præsens nemo est, præbeat auxilium.  
 Me cingit pinguis taurorum exercitus omnis,  
 In me audi prædæ more Leonis hiant.  
 Instar aquæ fluidus sum factus, membra soluta  
 Omnia, tum ceræ cor simile est liquidæ.  
Linguaq;

Linguaq; iam siccis hærescit faucibus, ac si  
Vicinæ aptasses arida membra neci.

Me cinxere canes ualidi, cœtusq; maligni,  
Et fodere pedes, exanimesq; manus,  
Nec satis est illis spoliari pellibus ossa,  
Quæ quiuis facile dinumerare queat.

Ni me despectum cernant, ac multa querentem.  
Illudant uarijs excipiантq; iocis.

Ac uelut extincti, inter se indumenta sodales  
Partiti, uestem sortibus abripiunt.

Tu mea nunc uirtus, robur, spes una dolorum,  
Viribus accelerans, præsidijsq; iuues.

A gladij tutare animam, scuisq; molossis,  
Qui rabidi pauidam dilacerare parant.

Quinetiam à rictu crudelis & ore leonis:  
Nam mora nunc mortis nulla relicta meæ.

Cum bonitate tuas memorabo carmine laudes,  
Iis qui te pura relligione colunt.

Vos igitur quotquot sincero corde timetis  
Abrahæ semen, magnificate Deum.

Qui pater afflictis pronas accommodat aures,  
Nec spernit madidas ore tremente genas.

Collaudabo tuum tollens ad sidera nomen:  
Nec deerit populus, cum tibi uota feram.

## 182 PSALMVS XXI.

Mansueti ihs aderunt epulis, saturiq; redibunt,  
 Cantantes Domino carmina grata demum.  
 Quos & nulla fūis poterit uexare, famesue:  
 Perpetuo uiuent sic pia corda fide.  
 Cuncti te noscent fines patremq; fatentes  
 Communem, summa cum pietate colant.  
 Quintiam terræ pingues, dominiq; potentes,  
 Orabunt curuis numina poplitibus.  
 Et quibus obscuris sunt cōdita mēbra sepulchris,  
 Audierint quando nuncia fausta ducis.  
 Quorum non solitis rupisti uincula fatis,  
 Ipse cruci affigens crimina cuncta tuae.  
 Hæc Domini æternis scribantur gesta libellis,  
 Cui canet assiduo carmine posteritas.  
 Qui bona narrabunt cœlestis dona parentis,  
 Venturis populis, iustitiamq; Dei.  
 Nā Domini est regnum, qui cunctis finibus orbis  
 Imperat, & gentes sub ditione tenet.

## Psalmus XXV.

Ad te leuaui animam meam, &c.  
 per Vincentium Obso  
 pœum,

**A**D mea te genitor mentem fiducia tollit,  
 Fac ne suffundar summe pudore Deus.  
 Summe

Summe Deus, cui me totum commendō, repulsiſ  
Darogo ſummoſis uota petita feram.  
Ne grata hostili præstem ludibria turbæ:  
Gaudeat & noſtriſ gens inimicæ malis.  
Noſ te propitiū perſuadā mente manemus,  
Vt ſpe fruſtremur non finis alme parens.  
At mage confuso ſtet pars diuerſa rubore,  
Quæ nulla cauſſa ſemper iniqua facit.  
Ipſe tuæ ſi; quæſo uiæ certiſſimus index  
Nobis, utq; tuum ſemper eamus iter.  
Ne noſ humanae uitient fermenta loquela,  
Tu noſ ſancte pater ſedulus ipſe doce.  
Unika quæ tua ſit diuinæ mentis imago,  
Quæq; tibi ſemper ſint placitura mone.  
Quippe Deus noſter, noſtræ eſ ſimul ipſe ſalutis  
Autor, & in medijs ancora ſacra malis.  
Teq; expectamus, teq; expectauimus omni  
Tempore: tu nobis auxiliator eris.  
Quam pius in multos fueris, reminiſcere quodam.  
Sic miſero ſolita noſ bonitate foue.  
Nec uelis eſſe pater uitæ memor eſſe peractæ,  
Et quæ deliquit noſtra iuuentia priu.  
Noſq; tua culpatia patria bonitate fatentes,  
Præuaricatores uifcipe quæſo Deus.

Dulcis enim et rectus celebraberis atq; benignus,  
 Propterea errantes sancte reduce pater.  
 Iudicio ut recto docti, ne deuia turbæ  
 Errantis, tritum neule sequamur iter.  
 Atq; tua indoctis aperi mysteria stultis,  
 Mansuetisq; tuæ dogmata sancta uiae.  
 Est bonus, est dulcis dominus, mera gratia cunctis  
 Qui quærunt sancte uiuere lege sua.  
 Peruerbis quanquam nimium uideatur acerbus,  
 Melle tamen uoluit dulcior esse pijs.  
 Inde tuū propter sanctum & uenerabile nomen,  
 Elue propitie nostra piacula Deus.  
 Non tot littoreas pelagus numerabit arenas,  
 Quot numerat uitæ cursus iniqua meæ.  
 Nunc quicunq; times Dominū, te (crede docebit)  
 Electæ per se non nisi lege uiae.  
 Rebus abundabit fæelix tua mollibus ætas,  
 Ille tui terræ sanguinis hæres erit.  
 Ipse sui Dominus trepidantia corda pauore  
 Confirmat, timidis foedera sacra refert.  
 Semper erunt oculi sublati ad sydera nostri,  
 Semper in æthereum lumina fixa polum.  
 Quandoquidem solus discussio errore ualebit  
 Etenso nostros soluere fune pedes,

Ad nos

*Ad nos mansueto tua dirige lumina uultu:*

*Summe Deus miseri commiserere mei.*

*Cernis ut à cunctis uiuam desertus amicis*

*Vnicus, infelix, pauper, egenus, inops.*

*Adflictos innumeros ego sentio corde dolores,*

*Me pater è duris assere quæso malis.*

*Cerne pater quæ nam teneat me angustia metis,*

*Quando collucter cerne labore precor.*

*Proinde meis ueniam erratis concede petitam,*

*Fac careat maculis mens mea pura nigris.*

*En me quam densis cinxere cohortibus hostes,*

*A quibus haud iusta degrauor inuidia.*

*Ergo animæ tibi sit iugis custodia nostræ:*

*Me precor insidijs exime, tutus ero.*

*Spes aliunde mihi nulla est fiducia, nulla:*

*Ne me frustretur, te rogo, nostra fides.*

*Et quia te solum per tempora cuncta canebam,*

*Se iunxere mihi non nisi corde pij.*

*Nunc, tua quæ bonitas certe, tribulatio si qua*

*Impendens populis est onerosa tuis.*

*Hac precor ex humeris pater optime tolle graua*

*Atq; tuos misero fasce leuare uelis.      (tis,*

## Psalms XXXIII.

Benedicam Domino, &c. In gratiam  
D. Andreæ Althameri, tracta-  
tus παραφρεσικῶς, per  
V. Obsopœum.

**L**AUDIBUS æternis summū celerabo parentē,  
Et regem cceli nocte dieq; canam.  
Illiū assidua modulans præconia uoce,  
Percinam appollinea carmina culta lyra.  
Carmina perpetuam Domini memoratiā laudem,  
Hæc semper uerbis est repetenda mihi.  
Diuitias alij iactent, sua sceptrā Nerones,  
Progeniem prisca nobilitate ferox.  
Ingenium docti, mauortia facta Camilli,  
Virtutum tetrici nomina uana Sophi.  
Hectoreos animos uenali sanguine miles,  
Corporis iniuctum robur athleta sui.  
Deniq; quod cordi cuiq; est hoc iactet, & illo  
Per me quisq; sibi mente placere potest.  
At mihi laus rebus quæratur nulla caducis:  
Erebus uanis gloria uana uenit.  
Quin magis in summo memet iactabo Tonante,  
Su Deus ille animæ gloria summa meæ.

Hoc

Hoc in se uerbis & iactet & efferat amplis,  
Illa sibi hinc laudes, hinc petat illa decus.  
Hunc celebret uotis, hunc unum extollat, & illo  
Quæq; sibi placeat, si qua placere cupit.  
Hunc unum nostræ sortis casusq; leuamen  
Audiat innumeris turba grauata malis.  
Audiet & positis lachrymis, et fronte serena  
Gaudebit multis exhilarata modis.  
Proinde Deū mecum magnis extollite uerbis:  
Magnificè magnum magnificate patrem.  
Huius & unanimis uno ore sub astra feramus  
Nomen, & æterna posteritate decus.  
Hunc ego multiplici oppressus casu atq; ruina,  
Quæsui suppplex corde gemente uocans.  
Protinus ille preces placidas demisit in aures,  
Suscipiens prona uerba precantis ope.  
Me consternatum trepido terrore leuauit,  
Omnibus oppressis hostibus atq; metu.  
Omnibus extinctis fæliciter, adde, periclis  
Desertum asseruit uindice præsidio.  
Hunc repetunt oculis, hunc toto lumine signant,  
Quos fors indigna mole maligna premit.  
Huius & ad solium rapido multa agmina cursu,  
Atq; catenatim plurima turba fluunt.

Nec

Nec quisquā ē tanto numero frustratus et expes,  
Confusa facie tristis abire solet.  
Omnibus ille patet placato numine, nulli  
Auxiliatricem denegat ille manum.  
Est qui clamauit tollens ad sidera palmas,  
Afflictus dubijs rebus egenus homo.  
Hunc Deus obstructa nō reppulit aure precantē,  
Sed propere misero uota petita tulit.  
Ex alijs etiam seruabit cladibus illuri,  
Oppressum dura sorte, dolore, cruce,  
Anxietate, minis, terrore, tyrannide, luctu,  
Carcere, sœutia, sanguine, morte, fame.  
Ille suos uallo circundat, robore munit,  
Firmat præsidio, subsidioq; iuuat.  
Circa ipsos figit tuta tentoria fossa,  
Hunc omnes solita qui pietate timent.  
Eripit ille suos depulso turbine sœuæ  
Fortunæ, sed eum qui reuerenter habent.  
Quæ si nota minus tibi sunt, & cognita certo,  
Fac animi sumas experimenta sui.  
Non summis labijs, sed plenis faucibus ipse  
Gustando tentes, experiendo probes:  
Et uideas quanta Dominus dulcedine gustum  
Afficiet, quanta tum bonitate tuum.

Aspice

**A**spice, quām bonus est. o terq; quaterq; beatū,  
Cuius erit summus spesq; salusq; Deus.

**O** ter felicem, cuius fiducia tantum  
Maximus ille uagi conditor orbis erit.

**H**unc omnes sancti metuant, hunc rara piorum  
Suspiciat trepido turba timore patrem.

**Q**uandoquidem rerum penuria nulla fatigat  
Ilos, qui Dominum corde timente pauent.

**N**ullus egestatis locus est, metuentibus illum:  
Vlla nec annona deficiente fames.

**P**œnorum catulis oboles rabiosa leonum.  
Sæpe inopes uictus esurire nimis.

**N**ō eadem sequitur Dominum fortuna timentes,  
Qui querunt penitus supplice corde Deum.  
Excipit hos felix, & pleno Copia cornu,

Fertur Almatheæ quale dedisse louem.  
Ergo agite, & celeri properantes currite gressu,

Discite qui Domini debeat esse timor.  
Qui tranquilla cupid iucundæ tempora uitæ,

Qui cupid optatos ipse uidere dies,  
Sedato ut cursu possit, rebusq; secundis,

Tutus & æterna prospexitate frui.  
Turpia uaniloquæ caueat mendacia lingua,

Ne noceat properans improba uerba loqui.  
Perfidæ

Persida qu in etiam labiorum claustra silendo  
 Compescat, ne sint uana reperta dolo.  
 Deserat infectæ uitiosa piacula mentis,  
 Exactæ uitæ deserat omne scelus.  
 Et uirtutis opus faciat, purgatus ab omni  
 Labo nigræ mentis, corporeisq; notis.  
 Quæsita pacis studium sectetur & artes,  
 Pacificus cunctis, pacis & ipse tenax.  
 Quippe oculi Domini per amico lumine semper  
 Perlustrant iustos, aspiciuntq; probos.  
 Clamorem patulis simul auribus arbiter æui  
 Accipit, & properat quosq; leuare suos.  
 Impia quin etiam obtutu uidet agmina toruo,  
 Quæ semper noxis criminibusq; student.  
 Ut genus illorum radicitus eruat, ima  
 A stirpe ut pereant germina cuncta simul.  
 Huius & ut generis famam oblitteraret iniqui,  
 E terris tollens nomina prava Deus:  
 Ut nullis maneant monumentis clara nepoti,  
 Sed magis æterna nocte sepulta forent.  
 At piaturga Deum non cassa in uota vocabit,  
 Illico nam facilis suscipit aure preces.  
 Eripiens durisq; malis, sœuisq; procellis,  
 Quæ fuerint certa pectora firma fide.

Nam

PSALMVS XXXIII.<sup>191</sup>

Nā pater omnipotens cōtritis corde propinquus,  
Et fractis animis cōminus esse solet.  
Sicut fastidit rigida ceruice superbos,  
Qui tumido fastu pectus inane gerunt.  
Seruat & inuisē quos urget sarcina culpæ,  
Et quos mente humiles pondera dura grauant.  
Et licet infinita bonos tribulatio semper,  
Et iustos homines undiq; multa premant.  
Exitū hinc mundo minitante, hinc dæmonis astre  
Instante, hinc propria carne premente pios.  
Eripit hisce tamen pater omnibus ille benignus,  
In se sperantem pronus amore gregem.  
Hunc ita sollicito defensum corde tuetur,  
Sic fouet, & curam sedulus huius agit,  
Defluat ut nullus numero eo crine capillus.  
Qui non auspicio decidit ante suo.  
Sic defensa oculis uigilantibus ossa priorū,  
Ut nullo casu comminuenda sient.  
At sua disperdet uesania prava malignos,  
Autores perimet perfida techna suos.  
Iustorum osores profligabuntur ad unum,  
Semine prosapie non remanente malæ.  
Sed non magne tui exitio absumentur eodem  
Serui, & sola pater dedita turba tibi.

Eripit

Eripis horum animas ex omnibus undiq; damnis;  
 Quas debinc post cineres ducis ad astra poli.  
 Ergo nulla pios unquam populatio uexat,  
 Qui sibi proponunt spemq; fidemq; Deum.

## Psalms LVII.

Miserere mei Deus, miserere mei,  
 &c. per Eundem.

**O** Mnipotēs miserere mei, miserere precātis,  
 O Deus, o animæ spesq; salusq; meæ.  
 In te nostra iacet solo fiducia fixa,  
 Haud aliū, de quo mens mea sperat, habet.  
 Me tegat alarum auxiliatrix umbra tuarum,  
 Quæ mihi suffugium, quæ mihi portus erit.  
 Donec transierint optato fine dolores,  
 Et mala sacrilega conciliata manu.  
 Inclamabo Deum sublata uoce supremum,  
 Sublata summum uoce uocabo Deum.  
 Ille meos casus placido componere fine,  
 Et nouit duræ tollere fata uicis.  
 Auxilium empyreo mitis demittit olympos,  
 Et me à mersoris liberat ille probro.

ille

Ille suæ bonitatis opes effundit in orbem

Demissas, largo cœlitus imbre pluens.

Inter ego immanes iaceo miser ecce leones,

Et mecum parili mens mea sorte iacet.

Nati hominum diris superant incendia flammis,

Quandoquidē nō sunt nūl nisi flamma uorax.

Sæua Theonini quorum sunt spicula dentes,

Et quibus insontes, tela maligna, petunt.

Et virulentæ peracuta cuspide linguae

Sunt enses, illis candida corda secant.

In sublime Deus super omnia sidera temet

Tollas, quæ decorant undiq; luce polum.

Et super omnigenam tollas tua nomina terram,

Quæ fama nunquam sunt peritura sua.

Ecce meis pedibus laqueos & retia tendunt,

Deperdendæ animæ perfida turba meæ.

Et scrobem effodiunt memet spectate, sed in qua

Illi ipsi cajū præcipitante ruunt.

Cordis prona mei cordis est prona uoluntas,

O Deus, ut psallam carmina facta tibi.

Ocyus una meæ expurgescere gloria uitæ,

Surgite Phœbeæ nablia plectra lyræ.

Et uos o dulces ante omnia surgite Musæ,

Laudantes cithara nunc meliore Deum.

In medio populi grates persoluere dignas

O pater elata uoce studebo tibi.

Proclamabo tuas gratianti carmine laudes,

Terræ per cunctas te celebrabo plagas.

Latius ista tuae quoniam clementia dextræ

Tendit, quam magni climata cuncta poli.

Et tua ueridicæ sanctissima dicta loquelæ

Qui tendunt, nubes tendere eorum illa solent.

O Deus extollas super omnia si lera temet,

Fac celebre immenso nomen in orbe tuum.

Psalmus LXVI.

Iubilate, &c. per Philippum

Melanchthonem.

**H**uc agite ô populi, summuq; agnoscite patrē  
Illiū et laudes carmine fertē pio.

Et uos qui primi redeuntem cernitis undis

Eoo solem, ducere ab urbe diem.

Et uos qui reuehi tenebras, noctemq; uidetis,

Oceano fessos sol ubi mergit equos.

Quām colimus uere esse Deum, rerumq; parentē

Discite, et illius numine cuncta regi.

Non nati casu, non casu uiuimus ipsi,

Condidit, et factos seruat alitq; Deus.

P S A L M V S L X V I .

195

Ille iter incertum uitæ cursumq; gubernat,  
Illi uere curaq; grexq; sumus.  
Has laudes pueriq; Deo cantate, senesq;,  
Hic honor, hæc summo uictima grata patri est.  
Hinc sperare animis audete, & poscere certum  
Auxilium, tristi tempore quisq; sibi.  
Nam bonus est Deus, & miseros auditq; iuuatq;,  
Qui credunt eius se bonitate tegi.

Psalmus LXXXIII.

Quam dilecta tabernacula tua, &c.  
per Arcturum Frisiū.  
**O** Deus, humani generis mundiq; creator,  
Omnia qui ualida sub ditione premis.  
In toto nusquam locus est mihi charior orbe,  
Quam sunt auspicio condita templa tuo.  
Hic ubi siue tui tractamus mystica uerbi,  
Seu tibi sollicito dicimus ore preces.  
Hunc ego odorati diuino thuris honore,  
Perpetuaq; colam relligione locum.  
Nam uelut aerea sibi struxit in arbore nidum,  
Se fetusq; suos quo tueatur avis:  
Sic tutus nobis sacra est Ecclesia nidus,  
Susceptosq; suo nos fouet illa sinu.

N 2 Nec

Nec sinit innumeros nigri nos dæmonis astus,  
Aut quascunq; alias extimuisse minas.  
Quæritus unde habeat tantas Ecclesia uires?  
Scilicet æterno est uindice tuta Deo.  
Perpetuo ille suam studio tutabitur ædem,  
Nec feret hanc ulla dæmonis arte premi.  
Recte igitur uera se prosperitate beatum,  
Sentiatur, in tali cui licet esse loco.  
Tutus ubi sacras sancte prostratus ad aras,  
Edat diuinos accipiatq; sonos.  
Atq; iterum scelix, qui te pater optime rebus,  
Auxiliumq; habeat præsidiumq; suis.  
Namq; licet duros non longo tempore casus,  
Et feret hostiles in sua damna manus.  
Dum pius ingrato diuina oracula mundo,  
Teq; adeò uerum prædicat esse Deum.  
Ille tamen uicto portabit ab hoste triumphum,  
Victriciq; feret læta trophæa manu.  
Sic licet ingentes perpessa Ecclesia fluctus,  
Inde tamen saluum tollit in astra caput.  
Successuq; docet, quod toto solus in orbe,  
Aeternus dici tu mereare Deus.  
At tu summe pater nostris precor annue uotis,  
Nec nos auxilio destituisse uelis.

Ipse

Ipse tuas ædes præsentि numine serua,

Ipse tua Christi regna tuere manu.

Ipse repugnantes scepiro contunde Tyrannos.

Da nobis, placida posse quiete frui.

Illa dies igitur niueo signanda lapillo,

Et uerae fructum prospexitatis habet.

Et mihi mille alijs longe anteferenda diebus,

Qua sum facta tuæ pars ego parua domus.

Vnus enim sacræ est mihi charior angulus ædis,

Quam sunt alterius splendida regna loci.

Ullic securæ fælicia tempora uitæ,

Et peragam lætos te modo dante dies.

Tu pater aduersis præbes solatia rebus,

Solus & es populo portus & aura tuo.

Tu geris iniuncta pro nobis prælia dextra,

Tu nos Tartareo solus abhoste tegis.

Deniq; cuncta pijs cedent fælicia, qui te

Agnoscunt uera religione Deum.

N 3 Psalmus

*Psalmus idem.*

Quam dilecta tabernacula, &c.  
per Philip. Melanch,

Præcipit autem, ut amemus & summa cura  
ornare studeamus Ecclesiam Christi, hoc est, &  
uerbum Dei, & ipsum publicum ministerium,  
& iubet huius ministerij causa fortiter perferre  
ærumnas, et pollicetur Ecclesiæ in periculis auxi-  
lium Dei.

**N**Vlla domus, non ulla mihi iucundior urbs  
Quamvis ingētes accumulatorit opes, cest:  
Quām templi sunt tecta tui, pater optime rerum,  
In quo doctrinæ uox sonat ipsa tuæ.  
Hanc arcem toto uenerabor pectore semper,  
Qua non est animo chārior ulla meo.  
Ipse tuas aras festis ornabo coronis,  
Atq; illas iusto semper honore colam.  
Vtq; suis timide nidis gaudere uolucres,  
Quos sibi quæq; sua condidit arte, solent:  
In quibus & possunt hostes contemnere tutæ,  
Et pullos dulci mater amore fouet:  
Sic nobis templum, nidus gratissimus esse,  
Et certum debet perfugium esse pijs.

Fælix

Fœlix hac semper quicunq; habitabit in arce,  
 Audiat ut laudes & canat ipse Dei.  
 Vera pijs patria est Ecclesia sola putanda:  
 Quæ patræ debes officia, ista petit.  
 Non uis ulla animos unquam diuellat ab ipsa,  
 Aeterno iunctam fcedere semper ama.  
 Hanc omnes studio sociato ornentq; iuuentq;  
 Hic honor, hæc pietas, credite, grata Deo est.  
 Ac ueluti uolucrum nidos industria munit,  
 Sic nostra cura est ista tuenda domus.  
 Crudelis quicunq; ipsam lacerare parabit,  
 Impiaq; aduersus cceperit arma Deum.  
 Sed patriam hæc quisquis melior defendere certe,  
 Et rectam non uult destituisse uiam,  
 Aerumnas feret iste graues, atq; aspera multa,  
 His non succumbet sed tamen ipse malis.  
 Ac riuos late deducet fonte perenni,  
 Extingui nunquam dogmata uera queunt.  
 Doctores Deus ipse regens ccelestibus auget  
 Dotibus, & studium prouehit atq; iuuat.  
 Multaq; delecto uictores hoste trophæa  
 Ponent, ut fiat gloria nota Dei.  
 Exaudi gemitus nostros pater optime rerum,  
 Aspicias templi quæso pericla tui.

Conserua regni formamq; statumq; decorum,  
 Præfice concordes ipse piosq; duces.  
 Has ego delitias ardentibus expeto uotis,  
 In templo semper degere posse Dei.  
 Et quamuis ibi erunt mibi multa adeunda pericla,  
 Nanq; odijs urget mundus ubiq; pios.  
 Attamen ante feram regnis opibusq; malorum  
 Huius militiae signa, decusq; piae.  
 Nanq; sua dextra Deus istam protegit arcem,  
 Et cives nunquam deserit ille suos.  
 Fœlix qui uoci cœlesti obtemperat uni,  
 Nec patitur frangi pectora firma minis.

## Psalmus CIII.

Benedic anima mea Domino, &  
omnia, &c. per Vinc.

Obsopœum.

**M**ens mea multimodas modulato carmine  
 Vni individuo dedita solue Deo. (grates  
 Redde Deo dignas meditato carmine laudes  
 O anima & summi percine facta patris.  
 Omniaq; internæ laudent præconia mentis  
 Ipsius immenso nomen in orbe sacrum.

Mens

*Mens mea deuotas modulantia carmina laudes*

*Ore tuo uero percine grata Ioui.*

*Nec benefactorum capiant te obliuia, summi*

*Patris, sunt meriti plurima dona sui.*

*Te quibus ille manu plena cumulauit egentem:*

*Et pergit semper te cumulare magis.*

*Qui non uipereum saltē scelus abluit, & te*

*A prima purgat labē parentis Adam.*

*Omnia prauorum delet contagia morum,*

*Condonans uitæ criminā cuncta tuæ.*

*Illius his faciem fecidasti sæpe serenam*

*Deformi scelerum contaminata luto.*

*Et tamen ille tibi placato pectore donat,*

*Delens propitia cuncta piacula manu.*

*Nec sat habet mentem purgatis sordibus esse*

*Sanam, si sanum non quoq; corpus erit.*

*Propterea tollit uexantes corpora morbos*

*De cute depellens ulcera cuncta tua.*

*Hic reputa quoties releuet, quantisq; periclis*

*Liberet infesta membra grauata cruce,*

*Vel cum pestifero corrupti tempore cœli*

*Tabida corripuit corpora fessa lues.*

*Vel cum multimodæ flagrantia tormenta febris*

*Nos urunt, aut mox frigora concutiunt.*

Aut ubi scæda cutem macies & lurida, morfu  
 Absumens tacito corpus inane facit.  
 Aut ubi Gallorum scabies, aut regius urget  
 Morbus, & articulos dira chiragra tenet.  
 Aut ubi perniciem intentat sudore Britannus:  
 Terruit hæc nuper millia multa plaga.  
 Aut cruciat male, delicijs assueta podagra,  
 Aut formidatæ fata minantur aquæ.  
 Deniq; quæcunq; infandi contagia morbi  
 Corpora nostra graui corripiuere lue,  
 Quæ neq; Pœonijs possit medicarier herbis,  
 Quæq; Machaonium uinceret ingenium.  
 Hæc pater omnipotens ægro de corpore tollit,  
 Sedulus ut medicus, sedulus utq; parens.  
 Corporis officio possis quo fungier omni,  
 Et sanis membris articulisq; frui.  
 Qui te etiam è laqueis hostilibus eripit, atq;  
 Ex omni uitam perditione tuam.  
 (Qua tibi molitur damnosus undiq; fraudes  
 Cum mundo dæmon, insidiator atrox.)  
 Qui te non cessat donis cumulare benigne,  
 Diuitijs, opibus, coniuge prole, domo,  
 Stirpe, bona fama celebrem, uirtute colendum,  
 Ore grauem, dignum gratia, amore, fide,  
 Dulcis

Dulcis amicitiae fructu studijsq; honorum:  
 Ut cultum ingenij corporeumq; finam.  
 Et quis cuncta, tibi quæ dat, persiringere possit,  
 Omnipotens plena non numeranda manu?  
 Sic os ille tuum solet ubertate replere,  
 Ut quò te uertas omnia plena uides.  
 Interea ætatem degis florente iuuenta,  
 Corpore non uires diminuente suas.  
 Non oculos peior, non usus hebetior aures,  
 Non capiet lassos ægra senecta pedes.  
 Constatbit solidum sed robore corpus eodem,  
 Idem firmabit fortia membra uigor.  
 Et tua perpetuo cursu renouabitur ætas,  
 Ut louis armigerum se renouare ferunt.  
 Subdola quinetiam si quando calumnia uitam  
 Inuadet, probris aut sycophanta tuam:  
 Aut obiecta premet non sotent iniuria, noli  
 Reddere fraude dolum, par ne referre pari.  
 Vindiçtæ partes Domino seruabis, & ille  
 Iusticiæ uindex optima iura dabit.  
 Vindicat ille suos iudex ultrice flagello:  
 Suppicio pensans impia facta graui.  
 Qualia legifero reseruauit dogmata Mœsæ,  
 Plurima diuinæ significando uiæ.

Adde

Adde suum studium, mores, sua facta, ritusq;  
 Quæ sunt ludæis prodita cuncta diu.  
 Quod pius & facilis, placabilis atq; benignus,  
 Mansuetus, clemens, longanimisq; siet,  
 Mitis, flexibilis, bonus, exorabilis omni,  
 Ad ueniam prouum deniq; pectus habens.  
 Tarde inflammatur, tarde excandescit in iram,  
 Et punit lento quosq; furore reos.  
 Tantas adiecit sibi mansuetudine laudes,  
 Et tantum placidæ mentis amoris habet,  
 Ut miserescens nequeat mensura fauoris  
 Profsus ab humano pectore certa capi.  
 Et quanquam certo crudeles tempore peccas  
 Irroget, & iustis scœuiat ille plagis:  
 Non tamen æterno contendet turbidus ore  
 Miscendo trucibus iurgia scœua minis.  
 Sed neq; perpetuò terrebit fulmine gentes,  
 Vindex offensæ truxq; tenaxq; scœue.  
 Ille odij nouit mensuram, & nouit amoris:  
 Largior hoc, illo parcior esse solet.  
 Et cum peccati mors sit certissima merces,  
 Ille tamen non sic quale meremur agit.  
 Perdere cum posset peccantes, non tamen atræ  
 Peccantes crebro nos dedit ille neci.

Nec

Nec delinquentes stygias detrusit ad undas,  
 Nec nostræ culpæ præmia digna dedit.  
 Nec tribuit nobis commissa piacula, qualem  
 Mercedem noxa commeruere sua.  
 Stelliger à terra nam quantum distat Olympus,  
 Quod spaciū ratio non capere ulla potest:  
 Tanta suos amplexa tenet clementia patris,  
 Et tantum in cunctos præualet illa pios  
 Qui probitate colut ipsum, ac ueneratur, amatq;  
 Atq; illum timido deniq; corde pauent.  
 Et quantum Eois occasus distat ab oris,  
 Tantum submovit crimina nostra Deus.  
 Ceu pater indulgens multa dulcedine natis  
 Parcit, non faciens omnia iure suo.  
 Sic etiam ille suos solet indulgenter habere,  
 Nos patris eximiij commoditate ferens.  
 Non semper punit peccantes: plurima nanq;  
 Affectu patrio dissimulata tenet.  
 Et licet interdum iratum se fingat acerbe,  
 Dum sœua è nigra fulmina nube micant,  
 Horrendoq; uagus tonitru dum cōsonat æther,  
 Et mixta in tectis turbine grando crepat:  
 Perstat amor patrij tamen in nos usq; fauoris,  
 Discutit hic uultus nubila cuncta sui.

Non

Non reputat quales sumus, aut qua stirpe creati,

Quām fragiles uita, quām probitate leues?

Quām nihil et uiles, quām imbelles, quāq; fuga  
Et subitis bullis conditione pares. (ces.)

Quāndoquidem nouit manū figmenta suarum:  
Conditor est operis conscius ipse sui.

Quōd cinis et puluis, quōd nil sumus omnia no-  
Aut siquid magni nos sumus, ūbra sumus. (uit.)

Quippe dies hominis sicut uiridantia campi  
Gramina, quæ uerno sole uirere solent.

Vt flos purpureus uiridi florescit in agro,  
Sic ætas hominis, sic quoq; floret homo.

Quem cum perflauit modico spiramine uentus,  
Languidus amissio protinus ore cadit.

Vt locus ignoret quo nam defloruit ille:  
Sic deflorescit protinus omnis homo.

At bonitas nostri simul et clementia patris,  
A seculo in seculum firma tenaxq; manet.

Cuius dona patent et munera tanta parentem,  
Qui colit, et pauci lo pectore flagrat amans:

Huius et ad seros descendant sceptræ nepotes,  
Nec non iusticiæ condita iura suæ.

Qui stabunt pacto, qui promissisq; manentes  
Defendent firma foedera facta fide.

Qui

Qui mandatorum memores faciendo suorum  
 Esse solent, nobis quæ tulit ipse pater.  
 Imperij superi Dominus stabiliuit honores:  
 Et fixit certa deniq; sede thronum.  
 Cui parent quæcunq; souet terraq; mariq;  
 Orbis habens regno subdita cuncta Dei.  
 Hunc ergo mecum multa uirtute potentes,  
 Cœlitus angelici concelebrate chori.  
 Obsequio cuius uos iussa capessitis, omni  
 Dictis parentes tempore morigeri.  
 Hunc etiam reliquus supremæ exercitus aulæ  
 Extollat, celebret, laudet, ad astra uehat.  
 Omnia præterea Dominum quoq; tollite uerbis,  
 Quæ sunt consilio condita cunq; suo.  
 Omnibus inq; locis medio quæ Phœbus ab axe  
 Despectat, lata sub ditione Dei.

## Psalms CXII.

Beatus uir, qui timet Dominum,  
 &c, per Erasmus Eb-  
 nerum.

**F**elix ille Deum metuit qui pectore casto,  
 Et non fucata religione colit,

Et qui

Et qui diuinæ legi parere studebit,  
 Et cui deliciae sunt bona iussa Dei.  
 Fluctib. in medijs seruabitur ille, paternas  
 Implebitq; sua posteritate domos.  
 Et quanquam uarijs iactetur sæpe periclis,  
 Attamen hunc summus seruat alitq; pater.  
 Huius conatus facilis fortuna fouebit:  
 Prouehet q; dextro numine cuncta Deus.  
 Illius æstiue superabunt horrea messes,  
 Et fruges ampleo scenore reddet ager.  
 Hunc pater ancipiti seruabit tempore, iusta  
 Caussa patrocinio uincet ubiq; Dei.  
 Non deerunt unquam dubijs solatia rebus.  
 Quæ faciunt pectus firmius esse viro.  
 Lumina, ceu tenebris adparent clara remotis,  
 Sic tristri inueniet tempore pectus opem,  
 Vir bonus adflicto facilis succurrit amico,  
 Et quacunq; potest sedulitate iuuat.  
 Aeraq; non ægre dat mutua ferre petenti,  
 Ac opibus largè subuenit ille suis.  
 Nec sibi diuitias per fraudē aut quærit honores,  
 Nec cuiquam iniustas iniicit ille manus.  
 Si quando exitium fortuna inimica minatur,  
 Illius semper uult meminisse Deus.  
 Et quid

## PSALMVS CXII.

209

Et quia se curæ esse Deo confidere nouit,  
Non huic incutiet nuncia fama metum.

Mens immota, uelut magno cū robore querqus,  
Constat, et in Domino spemq; animūq; locat,  
Sed qui contemnet cœlestia iussa, peribit:  
Nam subito ueniet magna ruina malis.

Vir quoq; multa pius confert in pauperis usum,  
Et fiet miseri portus & aura uiris.

Ille potest dubijs nunquam succumbere rebus,  
Isq; malis uictus cedere nescit homo.

Impius usq; licet cœlestia numina culpet,  
Iratus dicat iurgia multa Deo:

Non impune diu tamen hoc erit, impiat tandem  
Turba graues peccatas suppliciumq; luet.

## Ex Psalmo CXVIII.

In æternum Domine, permanet uer-  
bum tuum, &c. per Philippum  
Melanchthonem.

**S**ermo tuus nūquā pater occidit irritus, et nō  
Spem fallit mentis, destituit uē piæ.  
Nulla potest unquam tua dicta abolere uetusias,  
Sic durat uerbo condita terra tuo.

O Quodq;

PSALMVS. CXVIII.

Quodq; indefessa cursu cœlum omne pererrat,  
Et sol formosum fertq; refertq; diem.  
Descripsere uices illi tua iussa, uiamq;  
Seruat enim uerbum, cuncta regitq; tuum.  
Penè ego crudeli modo erā hosti præda futurus,  
Vitaq; in æternam noctem abitura fuit:  
Ni tua uox animam fugientem sola teneret,  
Quæ te affirmat opem ferre solere pijs.  
Hæc me tela inter fiducia texit, & enses,  
Addidit & uires hæc medicina nouas.  
Nulla tui nobis uenient obliuia uerbi,  
Nec meriti fiet gratia uana tui.  
Et fidum miseris portum, uerbum esse canemus:  
Nam sermone tuo reddita uita mihi est.  
Nos tua cura sumus, rerum pater optime, teq;  
Nos custode uno fidimus, atq; duce.  
Cætera deficiunt nobis solatia, quare  
Nos tua defendat dextera quæso pater.  
Ecce tuum contra populum gens impia ferrum  
Strinxit, & aduersus te gerit arma Deus.  
Sed uires hominum tua uincet dicta, minasq;  
Cætera prætereunt, sed tua dicta manent.

Psalmus

## Psalmus CXIX.

**A**d Dominum cum tribularer, clama  
ui, &c. παραφρασιῶς, per Ma-  
crinum Salmonium.

**C**lamaui ad dominū m̄cerore oppressus acer  
Audiuit uocem protinus ille meā. (bo,  
Estq; meam à labijs animam tutatus inquis,  
Ne noceat tacito callida lingua dolo.  
Improbius nihil est lingua, peius ue dolosa,  
Nil ad eam remedi, quod tibi detur, erit.  
Carbones rapidos, uibrataq; tela potenter  
Ictibus illa potest æquiparare suis.  
Hei mihi qui fuerim sic incola tempore longo,  
Inuisas anima uix tolerante moras.  
Cum male moratis, & cum discordibusegi,  
Quæis odiosa bonæ munia pacis erant.  
Mitia pacificus cum illis plerunq; loquebar,  
Qui se consilijs opposuere meis.

O 2 Psalmus

## Psalmus CXXIII.

Qui confidunt in Domino, &c.  
per Philipum Melanch-  
thonem.

**V**T scopolis immota suis Sionia rupes  
Hæret, et aduersos spernere tuta notos  
Sic irata pīs nunquam fortuna nocebit,  
Qui fidunt superum numine posse tegi.  
Ecce uides Solymen quæ moles cinxerit urbem,  
Et non humana mœnia facta manu.  
Parua inter montes latet, immani aggere septa,  
Et non accessis undiq; clausa iugis.  
Descenditq; suo propior nos numine, summus  
Ignea sic fieri mœnia datq; pater.  
Ne populum feriam cœlestia sacra colentem,  
Acta malos contra noxia tela uiros.  
Ne te igitur capiat melior fortuna malorum,  
Turpiter ut cupias destituisse Deum.  
Non habet impietas successus, credite, longos,  
Et male promeritos tristia fata manent.  
Fœlicesq; pīs, quos tu pater optime seruas:  
Continget portum, te duce, nostra ratis.

Ergo

Ergo leua pater adflictos, uitæq; gubernat  
Ambiguum cursum numine quæso tuo.

Psalmus CXXV.  
Qui confidunt in Domino, &c.  
per Vincentium Obso-  
pœum.

**Q**ui Domino fidunt, hominū rerūq; satori,  
Non dubitatūdā corde fouente fidē:  
Labentur nunquam concusso uertice moti,  
Sed semper stabili sede locoq; manent,  
Immotis ueluti pedibus Sionia cautes  
Perstat, quam clades nulla mouere potest.  
Urbs Solyma est paſſim circundata mōtibus altis  
Et paſſim summis cingitur illa iugis.  
Vis nequa hostilis facile intret, et eruat urbis  
Ex improviso mœnia capta sacræ.  
Sic Dominus solet ipſe suam defendere plebem,  
Munitam semper cunctipotente manu.  
Nec sinet, ut maneant regno durante malorum  
Oppressura pium non pia sceptrā gregem.  
Ne quod turpe nefas, ne qua improba facta coa-  
Designt iusti, non placitura Deo. (cti)

O 3 At

## 214. PSALMVS CXXVI.

Attu summe pater, magni moderator olympi,  
 Exhibeas rectis & benefacta bonis.  
 Disperdet Dominus sectantes deuia lustra,  
 Non secus atq; solet tollere morte malos.  
 Israël capiat tranquillæ gaudia pacis,  
 Seruans per cunctos fata benigna dies.

## Psalmus CXXVII.

Nisi Dominus ædificauerit do-  
 mum, &c, per Philippum  
 Melanchthon.

**Q**uod struis, & cælo certas educere mole,  
 Frustra erit, hoc condat ni Deus autor  
 Quod uigilas, urbemq; tuo uis Marte tueri opus.  
 Fallaris, excubias ni Deus hic tibi agat.  
 Et quanquam gratos somnos abruperis, ante  
 Quod n'reuebit clarum Lucifer ipse diem:  
 Longi dies quamuis tristi consumpta labore est,  
 Ac operæ partem nox quoq; sera trahat:  
 Nil tamen assidue profunt curæq; laborq;  
 Si non adspirent numina summa tibi:  
 Seruat aliq; pios rerum pater optimus, inde  
 Commoda sunt uitæ cuncta petenda tibi.

Non

Non domus ipsa sibi, nō urbs creat ipsa patronos:  
 Fœlices ciues datq; facitq; Deus.  
 Imperus est qualis uolucti, rapidæq; sagittæ,  
 Figitur in iusso quæ procul acta loco:  
 Sic quoscunq; rapit diuinus spiritus, illos  
 Virtuti cogunt cedere cuncta suæ.  
 Non fortuna uiros, non uirtus deserit unquam,  
 Nec ruitura suæ mœnia sunt patriæ.

Idem Psalmus CXXVII.  
 per Macrinum Salmonium,

**A** Edificet Dominus nostros nisi forte pena  
 Irritus ipse labos ædificantis erit. (tes,  
 Idem ni seruet munitam quamlibet urbem,  
 Frustra custodes mœnia circummeant.  
 Ante nihil lucem, o mortales, surgere profit:  
 Ni Deus aspiret, cura superuacua est.  
 Cum placidum dederit dilectis ille soporem,  
 Ecce quies oculos illabefacta teget.  
 Quid metuis uentri? Domino si fidis, abunde  
 Suppetet ad uictum copia larga dapum.  
 Mortales illi uersantur non secus, atq;  
 Arcitementum agili missa sagitta manu.

O 4 Felix

*Felix qui Domini est, quoniā ipsa affabitur hostes  
In porta, obiectas despicietq; minas.*

Idem Psalmus  
*παραφρασικῶς, per H. Eobanum  
Hessum.*

**F**allit in humanis operum fiducia rebus,  
Dum proprijs fieri virib. illa putat.  
Nam nisi rem quamvis Deus auxilietur agenti,  
Quod facis, in uanum defluet omne tibi.  
Siue etenim celsis æquas fastigia tectis,  
Et uaria pulchras extruis arte domos:  
Vis diuina tuum nisi prouehat ipsa laborem,  
Quod facis hoc nullum pondus habebit opus.  
Siue tuo te posse putas custode tueri,  
Excubijis uē paras incenia tutu tuis.  
Quid facis heu demens? nisi te tueatur, et urbem.  
Dextra Dei, frustra quæ facis, ista facis.  
Ante renascentem quid prodest surgere Phœbū?  
Et nullum curis constuiisse modum?  
Nec minus insontes uigilantem ducere noctes:  
Tam ratio est fallax, quam sine mente labor.  
Improbæ

Improba cur uanas consumis in ocia curas,

Aegraq; non aliqua membra quiete leuas?

Semper ut infirmū corpus iuuet, anxia mens est,  
Et minima seruit conditione sibi.

Vsq; adeo ne tuam torpens obliuio mentem  
Detinet, ut rebus non putet esse patrem?

Ille quidē pater est: & ut est, ita nostra gubernat  
Cuncta opera, et nomen iure parentis habet.

Ille tibi semper pater expectandus, ab illo  
Cuncta feres, iusta quæ ratione petes.

Ille domos multa dat & auget prole beatas,  
Humanæ non est hoc rationis opus.

Qualis enim leuibus uis est, & quanta, sagittis,  
Quas iacit arbitrio Martia dextra suo:

Talis inest uiridi uigor & natura iuuentæ,  
Quam Deus arbitrio temperat ipse suo.

Fœlix cui tales pharetram impleuere sagittæ,  
Huic nil quo noceat perfidus hostis habet.

Hic in iudicio portis cum stabit apertis,  
Semper ab aduerso iudice saluus erit.

O 5 Psalmus

## Psalmus CXXXIII.

Ecce quam bonum, &c. per  
Philip. Melanchthon.

**E**xiguis addit uires concordia rebus,  
Et male quassatas fulcit & auget opes.  
Vtq; senis celso manantia uertice Aronis,  
Confectos artus balsama larga regunt:  
Sive satis ut uita redit, dum Sirius agros  
Torret, si gelido rore madescat humus:  
Sic ubi sunt & quo satiatæ fcedere mentes,  
Fidaq; cōmuniſ pectora iunxit amor,  
Virtutem Deus aspirat, placidoq; fauore  
Prouehit, & uitæ cuncta pericla regit.

## Psalmus CXLVI.

Lauda anima mea Dominum, &c.  
per Vincentium Obso  
pœum,

**L**auda anima æthereis Dominū qui præsider  
Ille tibi ingi laude canendus erit. (oris.  
Laudabo

Laudabo Dominum donec mihi uita superstes

Manserit, & Parcæ stamina salua finent.

Dum mihi uitali saliet uena ulla tempore,

Ipse meo psallam carmina grata Deo.

Quid tibi spes uanas humano in principe fingis?

O stolidæ, atq; audes fidere corde duci?

Ne temere fidas sceptri grauitate superbo

Mortali, nulos ille beare potest.

Quem seruare queat, quem possit reddere tutum?

Incertus uitæ cum sit & ipse suæ.

Nanq; hominis tenues iterum uanescit in auras

Spiritus, & dura morte coactusabit.

Et tumulatus humo in terram conuertitur atram,

Fit cinis & puluis, qui cinis antè fuit.

Et sic consilij prudentia deperit omnis:

Et uinæ mentis cœpta superba cadunt.

Illum ego felicem, illum etiam celebrabo beatū,

Cui Deus omnipotens auxiliator erit.

Cui Deus ipse salus, spes & fiducia solus

Est semper summi conditor ille poli.

Et qui cum cælo terræ spacioſa creauit

Climata, tum uasti maxima stagna maris.

Atq; ea quæ uiuunt spirant, serpuntq; uolantq;

Et quicquid tellus, ponius & æther habent.

O 6 Qui

Qui nunquam fallet mendaci perfidus ore,  
 Verum promissa statq; manetq; fide.  
 Qui ualida dat iura manu Minoia uindex,  
 Oppressit rapida uiq; doloq; malo.  
 Quiq; fame effractos, & paupertate grauatos,  
 Largiter effuso pascere pane solet.  
 Qui duris uinlis uin etos & carcere clausos  
 Liberat, & rupta compede soluit eos.  
 Illustrat Dominus reparato lumine cæcos,  
 Et forti lapsos erigit ille manu.  
 Quinetiam Dominus patria bonitate benigne  
 Cultores æqui diligit, atq; fouet.  
 Tutela Domini peregrinis hospes ab oris  
 Tutus agit, tutum deniq; carpit iter.  
 Pupillos miseros, charisq; parentibus orbos  
 Et uideas Domini dextra secunda leuat.  
 Deniq; prauorum facit irrita dicta, nec unquam  
 Indiscussa sinit impia consilia.  
 Regnabit Dominus per secula cuncta potenter,  
 Ille Deus Sion maximus, ille tuus.

F I N I S.

Preula

Precula ad Christum per

D. M. M.

**V**era salus mundi, spes unica Christe tuo  
Qui patris ad dextrā iudex sine fine crū,  
sedebis,

At te configimus tristes, precibusq; secundam  
Imploramus opem. nam nos peccasse fatemur,  
Atq; graues meritos ob noxia crimina p̄cenas.

Exaudi querulos plāctus, lachrymasq; gementū,  
Da lapsis ueniam, ac nobis peccata remitte.

Quandoquidem mēsto suspirans uita dolore,  
Efficitur nostris nihil emendatior actis.

Debita si nobis fēdo pro crimine differs,  
Supplicia expectans, in eadem sorde manentes  
Corrigimur nunquā, atq; Dei cōtemnimus iras.


At si tu subitis punire nocentia flagris  
Membra uelis, nullum iam uiuere posse fatemur.  
Ergo Christe pater gentis miserere tuæ, quam  
Morte redemisti preciosa, et sanguine mundo.

F I N I S.

O 7


1482540

B A S I L E AE  
IN OFFICINA ROBERTI  
VVINTER ANNO  
M. D. XXXVIII.  
*mense Martio.*



etiam in orientem

et ad meridiem quia post illas. ut videtur accedat ad or.



31/102-

ostion no tpr

Yantodiaz ad

disde et qna di

lend et liba no

dicamia faciam

in pncarnosap

us.

ea par opo a' fum  
pre di a' upre qm  
mp addes fons qz qz  
dissipat de qbz mp

Ur in vnlle se fumie p qd possit exere  
hunc epi suppli docu meroqpi.

de 2<sup>o</sup> illi vbi quis est huius genere p ille

de de se qm el dente.

8148-49.

